Quæstiunculæ EXAMINIS THEOLOGICI, DE PRÆCIPVIS CAPITIBVS doctrinæ Christianæ, ex scriptis D. PHIL. MELAN. collectæ, & ad institutionem puerilem accommodatæ,

M. ALBERTI LYTTICHII Valle Ioachimici opera.


Quibus coniuncta sunt

Definitiones græcæ Domini IOACHIMI CAMERARII, &c.

Ac

Precatiunculæ traditæ & ipsæ à MELANCHTHONE.

Accessit Confessionis Augustanæ breuis comprehensio, & Paraphrasis SYMBOLI APOSTOLICI.



LIPSIÆ
M. D. LXXV.

 169

HONESTO ET PRUDENTI VIRO

Dn. ANDREÆ HEYL, Ciui & Bibliopolæ Lipsico &c.

S. D.



Agna vobis debetur gratia, honestißime & optime D. ANDREA, quorum studio & promtitudine, noster Libellus, Quæstionum Germanicarum Examinis PHILIPPI, ante annum Lipsiæ typis Ernestinis scriptus est: Ea enim occasione illæ succinctæ & perspicuæ definitiones, traditæ à Philippo, in officinas pietatis & modestiæ Puellarum, ac eorum etiam cœtuum, qui literas Germanicas & Logisticen metallicam apud nos discunt, receptæ sunt, & manibus horum teruntur atq; ediscuntur, quod idem fit ab his, qui nostræ sunt dediti disciplinæ. Siquidem illarum cognitionẽ & propagationem, maximi

semper fecerunt, summi viri, & præcipua Ecclesiæ lumina, quemadmodum Athanasius in Tract. de Defin. ait, Definitiones iuxta traditionem & fidem Ecclesiæ Catholicæ, collectæ sunt à Clemente, & alijs sanctis viris ac beatis Patribus, quas ante omnes scientias alias indagare, & in animum recondere necesse est, ei, qui per auxilium Dei, verbo veritatis præesse voluerit, & cuiuis homini orthodoxè sentienti atq; integram fidem erga Deum habenti, vtile, &c. Proinde, vt cum Diuo Paulo fieremus τὰ πάντα τοῖς πᾶσι, & ad captum nostrorum nos applicaremus (tales enim inter nostros quoq; discipulos sunt, qui nondum assequuntur Examinis theologici omnia, sed aliqua saltem, & ea breuia) sumsi mihi hoc, vt ex latinis monimentis PHILIPPI, nihil immutato ordine, (quē eundem Paulus ad Romanos, Ephesios, Colossenses, & Galatas scribens ferè obseruat,) nec filo relicto, quo in populari lingua Quæstiones illæ à me contextæ sunt, Enchiridion nostrum etiam latinum facerem, quanta fieri breuitate liceret, ne amplitudo doctrinarum, memoriam effugere,

aut

aut ingenia obruere poßit, Eo equidem studio, quo si quid discentibus inculcandum sit, præter selectißima ipsa verba Philippi, nihil admisceatur. Quibus addidi græcas Finitiones Domini Camerarij, viri clarißimi, quatenus traduntur nostris auditoribus, his rem gratam feceris mi Domine Andrea, si has vt illas à calcographis elaboratas, vestro beneficio acceperint, & ita scriptionis molestia (vt sunt delicati hac ætate adolescentuli) liberati fuerint. Misi itaq; hæc ad vos, vt de vestro iudicio hanc gratiam apud nostros iniretis. Attexui autem singulis quæstiunculis testimoniorum numeros & locos, quæ citantur vel à Philippo ipso, vel adiungi his queant, ne vlli de euidentia & perspicuitate rerum ipsarum relinquatur dubium, cum & editio prior germanica eosdem ferè characteres vbiq; habeat appressos. De Regulis in fine capitum singulorum annexis, ascribo verba Domini Philippi, qui sic ait: Vetus docendi consuetudo fuit, talibus breuibus sententijs, tanquam gnomis includere insignes articulos doctrinæ, quas Ecclesia ministerio Euangelij euoluere

debet & explicare. Preces tandem libello huic adiunctæ, complectuntur & ipsæ partium Catecheseos explicationem, ac vsui esse possunt pluribus, in præparatione animorum, ad sacrosanctam Ecclesiæ Communionem accessuris, donec meliora DOMINVS, quem oro, vt regat mentes docentium & discentium, vt vna, vera & perspicua sententia Euangelij, & veræ Ecclesiæ seruetur omnibus locis & temporibus, & sit efficax voce Euangelij sui, qua multi ad Deum conuertantur, & eum vera agnitione celebrent, & fiant hæredes æternæ salutis, propter Filium, Deum & hominem, qui factus est nobis Sapientia in verbo: Iusticia per sanguinem: Sanctificatio ex suo Spiritu: Redemtio aduentu gloriæ, vt dicitur 1. Cor. 1. Benè vale. Mariæbergæ Mysiorum, die Martini 1 5 7 3.

Albertus Lyttichius Ioach.
Magister artium, &
Theolog. S.

173

In Quæstiunculas Capitum Pietatis.

M. A. L.

Excipe, sed patulis amplexibus: excipe vultu
Culte, serenato, grato animoq́, Puer:
Excipe, quem mira scriptum breuitate libellum
Solertiq́, pius condidit arte labor.
Non titulus Cedro splendens, non pumice tersus,
Magnificas spumas grandisonasq́ crepat.
Non ostentat opes, nec diuitis ille liquores
Pactoli, nec habet munera fluxa Tagi.
Sed quæ Christi adum ratio pietatis, & vltra
Consona doctrinæ dogmata pura sacræ.
Saluificaq́ decus Fidei, & quæ ritè docenti
Diuinos cultus norma sequenda, docet.
Aurea quæcunq́ inuicti monumenta Philippi,
Nempe repurgatæ relligionis habent.
Quando igitur præstant spacio bona sacra propha-
Carior hoc multis iste libellus erit. (nis,
Hunc ergo pueri vos ô studiosa parate
Pectora, bis pueri vos & amate senes.
Hæc imis infixa etenim pia scripta medullis,
Monstrabunt facili calle salutis iter.
Est aliquid, tali studijs ratione probatis,
Grata Deo, & tenero commoda ferre gregi.

Macte animo Frater, ſic inſita germina terris,
In plantas cœli, hoc ſunt referenda modo.
Perge Deo vigili ſic inſeruire labore,
Irritus in Domino non erit iſte labor.
Grata Deo eſt pietas, vigilatas ponere noctes
Vtiliter, frangant corpora feſſa licet.
Nil igitur rigidos Momos, rabidosúe Theones,
Nil ſycophantarum ſcommata ſalſa time.
Filius ipſe Dei conatus diriget iſtos,
Propoſitoq́ dabit vela ſecunda pio.
Vt facili methodo diuini oracula verbi
Ritè propagari perſpicueq́ queant.

Δεῦρο διδασκαλίης ἁγίης καθαρῆς τε Μαθητὰ
δέξ' ὑγιαινόντων δόγματα θεῖα λόγων.
ὅσα πρὸς ἔννοιαν γ' ἐπιτηδευθέντα νεογνῶν
εὖ καὶ ἐπισταμένως δείκνυσιν ἥδε βίβλος.

Elias Lyttichius Frater &
Collega auctoris.



Prima Quæſtio.

ES CHRISTIANVS?

Reſpon.

SVm, atq; retineo integram & incorruptam Legis & Euangelij doctrinam, & notitiam Filij DEI, crucifixi pro nobis, & reſuſcitati. (*Teſtimonia Scripturæ 1. Pet. 4. Pſal. 1. Ioh. 5. 1. Cor. 3. Ioh. 3.*

Quis eſt Chriſtianus?

Omnis baptizatus in nomine Filij Dei, (*Mar. 16. Act. 2.*) qui diſcit doctrinam veram Eccleſiæ, de Eſſentia & Voluntate Dei, (*Ioh. 17. Matth. 3.*) in vera agnitione peccatorum, vera Fide, bona Conſcientia, vera Inuocatione & ſpe Vitæ æternæ, ita vt pendeat ex ſolo verbo & Sacramentis. (*1. Tim. 1. Rom. 1. Ioh. 4. Rom. 8. Eſa. 8.*)

Quot ſunt illuſtria Capita doctrinæ Eccleſiæ? XV.

I. De DEO, & tribus Perſonis in vna eſſentia diuina.

II. De duabus naturis in Mediatore IESV CHRISTO.

III. De Creatione & conſeruatione rerum.

IIII. De Lege diuina, & differentijs Mosaicarum Legum.

V. De Peccato, & causis Peccati, atq; Arbitrio hominis.

VI. De Euangelio, Iustificatione hominis, Fide & Gratia.

VII. De bonis Operibus, quomodo fiant, & quomodo placeant DEO, quid sint Venialia & Mortalia peccata.

VIII. De Ecclesia, & signis ac symbolis eius, atq; sacrificijs.

IX. De Sacramentis Baptismi, & Cœnæ Dominicæ.

X. De Pœnitentia, seu Conuersione & Partibus: De Confessione, Absolutione, & Clauibus Ecclesiæ.

XI. De Cruce, & caussis Calamitatum, ac Locis consolationum in Ecclesia.

XII. De Inuocatione, & Gratiarum actione.

XIII. De Libertate Christiana.

XIIII. De Coniugio, Magistratu, & gubernatione Ecclesiastica seu hierarchica.

XV. De Regno Christi, Resurrectione mortuorum, & vita æterna.

Institutio Christiani hominis, quæ dicitur Catechismus, est regula iudicij, quam homines dextrè sequentes, facilè discernent veram doctrinam de DEO à falsa, & veros cultus Dei à fictis & commentitijs.

PRIMVM CAPVT.

De Deo.

Quid est Deus, aut Essentia Diuina?

Respon.

DEVS, est Essentia vnica, *(Deut. 4. 6.)* spiritualis, *(Ioh. 4.)* æterna, *(Gen. 21.)* intelligens, *(Psalm. 33.)* verax, *(Exod. 34. Ioh. 8.)* bona, *(Ps. 106. Luc. 18)* iusta, *(Deu. 32. Psal. 5.)* pura & casta, *(Ps. 11. Habac. 1.)* misericors, *(Ps. 86. Luc. 6.)* benefica, *(Ierem 32.)* liberrima, *(Ps. 114.)* immensæ sapientiæ, *(Esa. 66. Ps. 147.)* & potentiæ, *(Dan. 33. Eccles. 3. 15.)* irascens peccatis, *(Exod. 20. 34. Num. 11.)*

Fontes definitionis huius, possunt etiam intelligere pueri ex serie præceptorũ Decalogi, & articulorum trium Symboli, si minus placeat hæc testimoniorum congeries.

Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius, imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, *(Ge. 1. & 18. Ps. 33. 2. Sam. 23. Matth. 3. 28.)* Sunt enim Personæ distinctæ, coæternæ, ὁμοούσιοι tres, in vnitate essentiæ diuinæ, *(Deu. 6. Ioh. 14. 1. Ioh. 5.)*

Quæ

Quæ eſt deſcriptio Dei Patris?

PATER ÆTERNVS, eſt prima Perſona Diuinitatis, non nata, nec aliunde procedens, ſed quæ ab æterno genuit Filium, imaginem ſuam, & à qua procedit Spiritus ſanctus, & quæ cum Filio & Spiritu ſancto omnes alias res creauit, & earum ſubſtantias conſeruat. *2. Reg. 7. Eſa. 40. Act. 3. Col. 1. Pſ. 2. Ioh. 15. Gen. 1. Pſ. 33. 16. Prouerb. 16.*

Quid eſt Deus Filius?

FILIVS ÆTERNVS, eſt ſecunda Perſona Diuinitatis æterna, quæ eſt ſubſtantialis & integra imago æterni Patris, ὁμοούσιος Patri, quam Pater ſeſe intuens & conſiderans ab æterno, gignit, quæ nobis quidem ſic manifeſtatur, quod ſit Perſona, per quam Pater dicit decretum, & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & mittitur vt patefaciat Euangelium, & aſſumat humanam naturam, & ſit Mediator, Redemtor, Iuſtificator, & Saluator, Rex & Sacerdos æternus. *2. Sam. 23. Eſa. 7. 11. Heb. 1. Luc. 2. 1. Tim. 1. 2. Gal. 3. 1. Cor. 1. Ioh. 4. 1. Eſa. 19. 42. Rom. 4. Ioh. 10. Pſ. 72. 110.*

Quid eſt Spiritus Sanctus?

SPIRITVS SANCTVS eſt tertia Perſona Diuinitatis, procedens à Patre & Fi-

& Filio, & est substantialis amor, & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, ὁμοούσιος Patri & Filio. *Gen. 1. Act. 5. 2. Cor. 3. Iob. 33. Ioh. 15. 16. Ioël. 2. Esa. 59.* Et nobis sic manifestatus est, quod mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem & læticiam acquiescentem in DEO, in eis accendat, qualis est ipse. *Gal. 4. 2. Pet. 1. Ioh. 16. Zach. 12. 7. 2. Tim. 1.*

Quid est Persona?

PERSONA est subsistens viuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio: Græcis ἰδιοσύστατον, obscurius est cum dicunt ὑπόστασις. *2. Cor. 4. Epist. ad Ebræos cap. 1. in græco.*

Quid nominatur Essentia?

ESSENTIA nominatur quod reuera est, etiamsi est communicatum, Græcè οὐσία. *Exod. 3. Ps. 102. Apoc. 1.*

Quare sunt tres Personæ Diuinitatis, & non plures, nec pauciores?

Quia sic se DIVINITAS patefecit: (*Exod. 33. 3. Reg. 19. Ioh. 1. Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3.*) Et testatur forma Baptismi, quam Filius Dei tradidit, tres esse Personas. *Matth. 28.*

Maxi-

Maximæ quædam theologicae huius loci.

Regula

I.

Primum omnium tenendæ sunt definitiones, sumtæ ex testimonijs diuinis, in loco de Deo.

II.

Discrimina Personarum piè cogitemus, & suas proprietates singulis attribuamus. Et quoties de distinctione Personarum dicitur, discrimina ex appellationibus sumantur.

III.

Appellatio IEHOVA, propria est veri Dei, patefacti primis Patribus & in Israël.

IIII.

Quoties DIVINITAS intra sese describitur, discernuntur Personæ, sed cum opponitur creaturis, fit mentio vnius æternæ essentiæ.

V.

Vna est οὐσία, *tres sunt* ὑποςάσεις.

VI.

Non est facienda confusio Personarum, nec etiam diuulsio & separatio Essentiæ.

VII.

Non tantum Vocabulis aut imaginatione discernuntur tres Personæ, sed re ipsa, alium subsistentem esse Patrem, alium subsistentem esse Filium, alium subsistentem esse Spiritum sanctum, vult docere Ecclesia, etiamsi sunt ὁμοούσιοι.

Veris-

VIII.

Verissimum est in qualibet Persona, Essentiam & Relationem nequaquam differre realiter, nec esse res duas, Essentiam Filij & Relationem.

IX.

Opera TRINITATIS ad extra sunt indiuisa, hoc est, communia tribus Personis, sed seruata cuiusq; Personæ proprietate. Item, Filius agit per se, sed non à se.

X.

Opera TRINITATIS ad intra sunt diuisa.

XI.

Gignere est alium de sua Essentia gignere. Procedere autem est à voluntate, & differt hoc ab Egredi, quod est à potentia cogitante.

XII.

Quatuor sunt Modi præsentiæ DEI: Vniuersalis: in beatis: in Sanctis in hac vita: & qua λόγος humanam naturam, quam semel assumsit, nunquam deserit.

CAPVT SECVNDVM.

DE DVABVS NATVRIS IN MEDIATORE.

Quare Filius nominatur λόγος.

1. Quia est imago Patris cogitatione genita. *Coloss. 1. Ebr. 1.*

Quia

II. Quia eſt Perſona, per quam Pater dicit decretum de creatione. *Pro.8. Ioh.5. Coloſſ.1. Gen.1.*

III. Quia eſt Perſona proferens Euangelium ex ſinu æterni Patris. *Ioh.1. Luc.10.*

IIII. Quia eſt Perſona initio loquens cum Patribus, conſeruans miniſterium Euangelij, & eſt efficax in his qui credunt Euangelio. *Ioh.8. Ebr.1. Ioh.4.*

Quomodo hæc Perſona aſſumſit humanam naturam?

FILIVS, qui eſt coæterna imago æterni Patris, & nominatur λόγος à Iohanne, aſſumſit humanam naturam, in Maria virgine matre. (*Mich.5. Eſa.7. Ioh.1. Coloſſ.2. 1. Tim.1. Matth.1. Rom.1. Gal.4.*

Talis eſt autem aſſumtio, vt huic Perſonæ ſoli, quæ eſt λόγος, hæc maſſa humanæ naturæ aſſumta, ſit vnita Vnione hypoſtatica, id eſt, vt ſit vnum ὑφιστάμενον, λόγος ſuſtentans hanc maſſam, & ipſa maſſa naturæ humanæ. Non enim conuerſa eſt vna natura in aliam, ſed Perſonæ quæ eſt λόγος, vnita eſt maſſa naturæ humanæ aſſumta. *Ioh.1. Ierem.23, 1. Chron.18. Matth.16. Gene.4. 1. Ioh.4. Symb. Athan.*

Sum quod eram; nec eram Quare quod sim

Quare Filius Dei assumsit humanam naturam?

Primò, Ne esset quidem genus humanum, sed mox prorsus interijsset post lapsum primorum parentum, nisi factum esset decretum, vt λόγος assumeret massam, & propter hanc assumtionem genus humanum esset superstes. *Gen.* 3. *1.Tim.* 2.*Ioh.* 3. *Luc.* 9.

Deinde, quia homines peccauerant, congruebat hominem esse, qui pœnam sustineret, vt iusticiæ Dei satisfieret. *Rom.* 5. *Phil.* 2. *Ebr.* 5.

Tertiò, vt autem esset æquiualens precium pro peccatis, hic Redemtor non tantum est homo, sed etiam Deus. *Esa.* 9. 7. 35.

Quartò, Nulla creatura sola sustinere potuisset hanc magnitudinem dolorum & iræ Dei. *Deut.* 5. *Psal.* 40.

Quintò, Vt ergò caput Serpentis conculcet, vincat mortem, reddat nobis iusticiam & vitam æternam, sit perpetuus custos Ecclesiæ, videat consilium æterni Patris, hic Mediator etiam est DEUS. *Gen.* 3. *Ierem.* 23. *Iohan.* 1. *Luc.* 10. *Esa.* 49.

Qui modi loquendi sunt considerandi in hac doctrina?

Veræ & receptæ ſunt hæ propoſitiones de CHRISTO: DEVS eſt homo, Verbum eſt homo, Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt natus ex virgine, paſſus, crucifixus, mortuus &c. Quia hæc perſona, in qua vnione perſonali, vnita eſt humanæ naturæ diuina, naſcitur, crucifigitur, moritur. Quæ loquendi forma in Concreto, vocatur COMMVNICATIO IDIOMATVM, id eſt, Prædicatio, in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur Perſonæ in Concreto, propter vnionem hypoſtaticam. *Ioh. 1. Coloſſ. 2. Phil. 2. Pſal. 8. Damaſcenus.*

REGVLÆ TENENDAE IN HOC CAPITE.



REGVLA. I.

Aſſumſit λόγος corpus & animam ſine peccato, ſed habentia proprietates naturales ordinatas. Item, eas infirmitates, quæ ſunt pœna non peccata.

II.

Certiſſimum eſt, eſſe vnum Filium λόγον & naturam aſſumtam, & vna adoratione inuocandum: Ac conſiderandum eſt, Filium dici λόγον, & reſpectu Patris, & reſpectu noſtri.

III.

Conſi-

Considerandum est in vniuersum, quomodo vetus Ecclesia locuta sit. Et retinenda est phrasis vsitata, recepta graui authoritate doctorum.

IIII.

Disertè loquendum est, Communicationem Idiomatum fieri in Concreto, non in Abstracto.

V.

Discernendæ sunt appellationes, quæ significant proprietates naturarum, & appellationes officij.

VI.

Quædam dicta, de Essentia loquuntur, quædam de officijs Personæ.

VII.

Alia dicta loquuntur de regnante Christo, alia de humiliato & patiente.

VIII.

Nomina officij competunt toti personæ, non alteri naturæ seorsim.

IX.

Christus est Mediator secundum vtramq; naturam, Nec mißio & obedientia tollunt æqualitatem potentiæ & essentiæ, sed distinguunt ordinem personarum.

X.

Retinenda est personæ vnitas, nec tamen sunt confundendæ naturæ.

XI.

Attributum vnius naturæ, competit & alteri, sed in Concreto: Nam quæ vni naturæ propria sunt,

 eadem

eadem attribuuntur & alteri, ſed in Concreto.

XII.

Quædam propria vni naturæ, non impediunt quo minus & altera natura adſit.

XIII.

Particula Secundum diſtinctiua, non facit diuulſionem Perſonæ, ſed ſua cuiq; naturæ proprietas attribuitur, Vt Act. 2. dicitur, Secundum carnem reſurgere Chriſtum.

XIIII.

Nomen Capitis tribuitur toti Perſonæ Chriſti, & alias Capitis proprietates ſecundum humanam naturam, alias ſecundum diuinam naturam ei competunt: Eſt enim Caput efficacia, perfectione, merito & ordine.

CAPVT III.

DE CREATIONE.

Quid nominas Creare in primo Articulo?

Creare, eſt ex nihilo aliud facere, dicendo, Eſtq; Creatio, Fabricatio rerum aliarum, quæ ſunt extra eſſentiam Dei ex nihilo. *Gen. 1. Hierem. 32. Pſal. 33.*

Quomodo res omnes creatæ ſunt?

Æternus Pater, cum Filio & Spiritu ſancto, cœlum & terram, angelos, homines, & totam hanc mundi machinam dicendo

cendo seu iubendo fecit, ex nihilo, non ex aliqua præcedente æterna materia, Et quidem liberè & volens omnia condidit. *Ioh. 1. Psal. 114. 135.* Pater enim creat per Filium, qui est Verbum, in quo lucet opus totius opificij, & Spiritus sanctus immediatè fouet creaturas, & motum impertit, *Gen. 1. Psal. 33. 1. Cor. 12. Esa. 43.*

Quæ est sustentatio & conseruatio rerum?

Adest DEVS vniuersæ creaturæ, & toti opificio suo, sed vt agens liberrimum, angelis & hominibus, & rerum substantias seruat, fœcundat terram, procreat fruges in terra, impertit vitam viuentibus, & fouet totam naturam, maximè verò Ecclesiam. *Col. 1. Ioh. 5. Psal. 147. 104. 33. Act. 17.*

Quibus modis patefacta est essentia & voluntas diuina ab initio?

Doctrina Legis & Euangelij, atque testimonijs seu operibus Dei, editis in genere humano. *1. Paral. 17. Esa. 8. Exod. 20.*

REGVLAE LOCI DE CREATIONE.

I. *DEVS non est alligatus ad caussas secundas, sed vt agens liberrimum, caussas*

 secun-

ſecundas moderatur, aut impedit, aut mutat.

II. *Vtile & iucundum eſt aſpicere opificium mundi, & in eo veſtigia Dei quærere, & demonſtrationes colligere, quæ teſtantur, hunc mundum non extitiſſe caſu.*

III. *Creatio eſt opus totius Trinitatis, non tantum vnius perſonæ.*

IIII. *Contingentia eſt, non omnia neceſſariò fieri.*

V. *Omnia cum fiunt, ideo neceſſaria dicuntur, quia contradictoriæ non poſſunt ſimul veræ eſſe.*

VI. *Deus per interualla ſex dierum materiam creatam diſtinxit, & opere perfecto ſeptimo die quieuit, ſcilicet, à nouis creaturis faciendis.*

CAPVT IIII.

De lege divina.

Quid eſt Lex Diuina?

Lex Dei, quæ nominatur Lex Moralis, eſt æterna & immota ſapientia, & regula Iuſticiæ in Deo, diſcernens recta & non recta, & horribiliter iraſcens contumacibus, ſeu denuncians horrendā iram aduer-

aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo. *Exod. 20. Roman. 3. 7. Deut. 12.* Et patefacta est hominibus in Creatione, & postea sæpè repetita, & declarata voce diuina, vt sciamus quod sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, vt omnes sint conformes Deo, & damnans ac destruens omnes, non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio, propter Filium Mediatorem. *Rom. 2. Ebr. 8. 10. Exod. 20. Deut. 6. Matth. 22. Marc. 12. Matth. 5. Rom. 4. Deut. 27. Rom. 1.*

Alia Decalogi Definitio.

DECALOGVS, est doctrina sapientiæ & iustitiæ, quæ est in Deo, cuius radius in mentes humanas transfusus est, congruens cum mente & voluntate Dei, quæ ostendit, quales oporteat esse omnes homines, & damnat omnes, qui non sunt tales, cuius duæ sunt propositæ tabulæ, prior præcipit opera interiora & exteriora, quibus immediatè cum Deo agimus, secunda continet opera erga homines, & hanc obedientiam Deus seuerissimè postulat, & iudicat eam esse cultum DEI. *Matth. 22. Luc. 10.*

Quid differt Lex ſeu Decalogus ab alijs gradibus Legum Moſaicarum?

Tres ſunt partes Legis Moſaicæ vniuerſæ.

I. Lex moralis, cujus ſumma comprehenſa eſt in Decalogo, quare nomine Decalogi ſæpè vtimur pro Lege Morali. *Exod. 20. Rom. 3. Deut. 27.*

II. Leges Ceremoniales, ſunt quæ externos geſtus ordinant in Sacrificijs, & loca, tempora & perſonas diſtinguunt, & alia quædam exercitia externa deſcribunt, vt ſint ſigna & diſtinctiones Politiæ Moſaicæ ab alijs gentibus. *Libro Leuiticorum.*

III. Leges Iudiciales ſeu Forenſes, ſunt præcepta à Deo tradita, de externa defenſione diſciplinæ, iuxta totum Decalogum, de Magiſtratibus, de pœnis blaſphemiæ & periurij, ſeditionis, homicidij, adulterij, de diſtinctione facultatum vel dominiorum, de hæreditatum diſtributione, de pœnis furtorum, de ordine iudiciorum.

Hæ Leges Forenſes & Ceremoniales Moſaicæ, fuerunt traditæ tantum ad illius politiæ conſtitutionem, & tandem deleta politia Moſaica, extinctæ ſunt, & prorſus

ſus omitti poſſunt. *Act. 10. Rom. 6. 1. Tim. 1.* Verum Lex Moralis, cum ſit in Deo ſapientia, & norma Iuſticiæ æternæ, & patefacta ſit hominibus, vt homo ſit conformis Deo, non poteſt extingui, ſed manet ordo diuinus, vt homo iterum fiat conformis Deo. *Rom. 3. & 8. Eſa. 33. Deut. 4.*

Quis eſt vſus Legis Moralis, cum Deus non velit eam deleri?

Tres ſunt vſus: Primus eſt Pædagogicus ſeu Politicus, ad omnes homines pertinens, etiam non renatos & Ethnicos, quod videlicet obligat omnes, vt regant externa membra ſeu Locomotiuam, vt externa facta congruant cum Lege Morali, & ſancit pœnas etiam corporales in hac vita aduerſus eos, qui admittunt externa delicta, quas Deus vel per Magiſtratus, vel alijs modis ſumit de ſontibus. *1. Timot. 1. Matth. 20. Ebr. 13. Exod. 15. Deut. 11.* Secundus vſus Legis eſt iudicium Vniuerſale, accuſans omnia peccata in hominibus, interiora & exteriora, & totam deprauationem. *Deut. 4. Roman. 3. 1. Cor. 6. Ioël. 2.* Tertius vſus eſt in Renatis docere, qui cultus Deo placeant: quia etſi humana ratio ſcit aliquo modo diſcrimen honeſtorum & turpium:

tamen necesse est habere testimonium Dei expressum, quæ opera ipsi placeant. *Gal.3.Ezech.20.Psal.119.Rom.8.*

Quomodo fit impletio Legis?

Implet Christus Legem pro nobis, quatuor modis:

1. Sua obœdientia propria. *Phil. 2.*
2. Deriuando in se pœnam. *Esa.53.*
3. Restituendo in nobis iustitiam & vitam æternam. *Ioh.1.*
4. Sanciendo. *Matth. 5.*

MAXIMAE.

I.

Prima tabula Decalogi semper anteferatur secundæ tabulæ: attamen & reliquæ virtutes, sunt cultus Dei, si fiunt in fide ad hunc finem, vt DEO *præstetur obœdientia.*

II.

Primum præceptum includendum est cæteris omnibus.

III.

Sententia primi præcepti & reliquorum, discenda est iuxta declarationem Euangelij.

IIII.

Omnia præcepta debent fieri in agnitione & Fide Mediatoris.

V.

Lex non potest fieri sine Christo.

Libe-

VI.

Liberati sumus à Lege, non quo ad obœdientiam, sed quod ad maledictionem, pœna in Christum translata est.

VII.

Omnis Lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad pœnam.

VIII.

Nemo in hac vita, præter Christum, perfectam obœdientiam & integram Legis impletionem habet: In hac igitur imbecillitate agnoscenda sunt peccata, & nitendum merito solius Filij Dei.

CAPVT V.

De Peccato.

Quid est Peccatum?

PECCATVM est ἀνομία, seu quicquid est contra Legem Dei, & aduersum iustitiæ diuinæ, hoc est, Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio contra Legem Dei, offendens Deum, & commerens iram æternam, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem. *1. Ioh. 3. 2. Ioh. 16. Rom. 2. Leuit. 5. & 26.*

Quid est diuisio Peccati?

Peccatum aliud nominatur Originale, aliud Actuale. *Rom. 8.*

Quid

Quid eſt Peccatum Originale?

Eſt defectus Iuſtitiæ originis, & reatus propter Adæ lapſum; & propter priuationem lucis diuinæ, & firmæ agnitionis Dei in mentibus hominum, & propter auerſionem voluntatis à Deo, & propter contumaciam cordis; quæ mala ſequuta ſunt lapſum Adæ, in natura hominum, & ſunt inimicitiæ aduerſus Deum, & damnata à Deo. *Gen. 8. Pſal. 51. Hiere. 17. Rom. 7. & 8. Epheſ. 2.*

Quid eſt Peccatum Actuale?

Eſt omnis actio, pugnans cum Lege, tum in mente, vt dubitationes de DEO: tum in voluntate & corde, vt incendia malorum affectuum: tum in membris externis, vt externæ actiones pugnantes cum Lege Dei. *Rom. 6. Pſal. 119. Gal. 5. 1. Ioh. 3. & 4. Epheſ. 5.*

Quæ eſt cauſſa Peccati?

DEVS nec eſt cauſſa Peccati, nec vult peccatum, nec impellit homines ad peccandum, nec approbat peccatum: Sed voluntas in Diabolis & hominibus, ſua libertate auertit ſe à Deo, & excuſsit dona Dei, & homo illam deſtructionem in ſuam poſteritatem propagauit. *Pſ. 5. Ge. 3. 6. Syracid. 25. Zach. 8. Ioh. 8. 1. Ioh. 2. Rom. 5.*

Quid

Quid est voluntas hominis libera & propria, seu Arbitrium liberum?

Homo in prima creatione, conditus est ad imaginem Dei, & fulsit in mente eius illustris noticia de Deo, & in voluntate & corde rectitudo, congruens cum sapientia & voluntate Dei, & simul erat libertas electionis non impedita: Postea verò per peccatum imaginis integritas amissa est, & reliqua est tantum facultas, qua homo potest regere locomotiuam, in externa disciplina præstanda, sed nòn potest tollere, ex mente dubitationes, & ex corde vitiosas inclinationes, aut depellere ἀταξίαν, quæ nobiscum nascitur, quæ nominatur mala concupiscentia, naturalibus viribus, sine luce Euangelij, sine Spiritu sancto, sine Filio Dei nos viuificante suo spiritu, Voluntas verò accepto Spiritu sancto iam non est ociosa. *Gen. 9. Sap. 2. Sirac. 15. 17. 1. Cor. 2. Tit. 3. Rom. 8. Ioh. 8. 1. Ioh. 4. 2. Cor. 6.*

REGVLAE.

Liberum arbitrium, vsitatè nominatur, Voluntas cum intellectu coniuncta, eligens aliquid liberè præcedente cognitione.

Duo

Duo genera sunt actionum in voluntate post deprauationem reliqua, Gubernatio Locomotiua & Actiones elicitæ.

Voluntas non incoat nouam obœdientiam, sine Spiritu sancto.

In Baptismo tollitur formale peccati, id est, reatus: sed adhuc manet reliquum materiale, id est, mala concupiscentia.

Aliud est nihil negatiuum, aliud nihil priuatiuum.

Certum est esse Contingentiam, & fontem contingentiæ in actionibus esse libertatem voluntatis.

Aliud est loqui de electione voluntatis, aliud de euentu seu successu.

Prudenter discernenda est ἀταξία *ab ipsis appetitionibus, quales à Deo conditæ sunt.*

CAPVT VI.

DE EVANGELIO ET IVSTIFICATIONE CORAM DEO.

Quæ est altera doctrinarum, quibus Deus se & suam voluntatem patefecit?

Respon.

Doctrina Euangelij.

Quid est Euangelium?

Est

Eſt prædicatio Pœnitentiæ, & Promiſſionis, quæ non naturali luce nota, ſed ex arcano cõſilio diuinitatis prolata eſt, per Filium, qua Deus exhibet remiſsionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus ſancti, iuſtitiæ & vitæ æternæ, propter Mediatorem, & per eum, GRATIS, Fide accipientibus promiſsionem. *Luc. vlt. Ioh. 16. Rom. 1. 2. Cor. 3. Gal. 3. 1. Pet. 1. Rom. 3. 1. Ioh. 5. 2. Cor. 2.*

Quomodo accipit homo remiſsionem peccatorum, & reconciliationem ſeu Iuſtificationem, & donationem Spiritus ſancti & vitæ æternæ? Reſpon.

Homo in Conuerſione, id eſt, in veris doloribus & pauoribus, accipit remiſsionem peccatorum, propter Mediatorem Filium Dei, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, DEVM & HOMINEM, GRATIS, SOLA FIDE, non propter propriam dignitatem, ſeu propter virtutes proprias, aut propria opera ſeu merita. *Rom. 4. 6. Ioh. 3. Act. 10. Rom. 3. Gal. 3. Epheſ. 2. 2. Cor. 2. Ebr. 10. Hierem. 33. Eſa. 52. 55.*

Eſtne vera Propoſitio, SOLA FIDE IVSTIFICAMVR?

Veriſ-

Verissima est: quia cum dicitur, Sola Fide iustificamur, nō aliud dicitur, quàm quòd propter Christum Filium Dei accipiamus remissionem peccatorum, & reputemur iusti, sine nostris operibus, vt Paulus ait, Iustificamur gratis ipsius Gratia, per redémtionem, quæ est in IESV CHRISTO. *Rom. 3. 4. 5. Ephes. 2. 3.* Nam Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis, seu acceptationis gratuitæ propter Filium Dei, quæ cum Fide accipitur, Verissimum est simul Filium Dei, corda viuificare, dicere consolationem in cordibus, per Euangelium, & Spiritu sancto accendere tales motus, qualis est ipse. *Gen. 15. Esa. 53. Hierem. 33. Rom. 3. 5.*

Quid est Fides, Seu quis est vsus nominis Fidei?

FIDES, est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita, & promissioni gratiæ: & est fiducia acquiescens in Deo propter Filium, accedens ad Deum, & inuocans eum, & clamans Abba Pater, quæ sentitur in credentibus, & in veris pauoribus affert consolationem & læticiam. *Rom. 5. 8. Ebr. 11. Coloss. 1. Gal. 3. Act. 3. Abacuc 2. 1. Iohan. 4.* Et tria hæc sunt in vera Fide

de coniuncta, Notitia, Assensus, & Fiducia in Christum Mediatorem.

Quid est Gratia, & quis est vsus nominis Gratiæ?

GRATIA apud Paulum, in hac doctrina, significat, Ebræa phrasi, misericordiam gratuitam, videlicet remissionem peccatorum, & reconciliationem, seu acceptationem gratuitam, propter Filium Dei, quæ cum Fide accipitur, simul Filius Dei viuificat corda, & per Euangelium dicit consolationem in corde, & accendit Spiritu sancto tales motus, qualis est ipse. *Rom. 3. 5. 6. 8. Ioh. 1.*

Quare necesse est retineri exclusiuas Particulas, SOLA FIDE, & GRATIS?

Propter quatuor caussas: PRIMVM, Vt tribuatur honos debitus Filio DEI, quod hæc sola hostia sit precium pro nobis. *Ioh. 1.*

SECVNDO, Vt conscientiæ habeant firmam consolationem. Si enim penderet remissio ex dignitate nostrorū operum, semper esset incerta, & opprimerētur perterrefactæ mentes desperatione. *Rom. 4.*

TERTIA caussa est, Vt inuocatio fieri posſit, quæ impeditur conſpectu noſtræ infirmitatis. Ideo accedendum eſt ad Deum, fiducia ſolius Mediatoris. *Ebr. 10. Eph. 3. Dan. 4.*

QVARTA, Vt conſpiciatur diſcrimen Legis & Euangelij, quia particula Gratis, Fide, propter Mediatorem, præcipuè diſcernit Legem & Euangelium. *Ioh. 1. Rom. 4.*

Quod eſt diſcrimen Legis & Euangelij?

EVANGELIVM eſt promiſsio, offerens agentibus pœnitentiam, remiſsionem peccatorum, & reconciliationem, accipiendam Fide, & eſt gratuita promiſſio, propter Mediatorem. *Rom. 3. 4. 10. Iohan. 1.*

Sed LEX eſt ſententia, præcipiens integram obœdientiam erga DEVM, & damnans non habentes perfectam obœdientiam: Nec Lex habet promiſsiones gratuitas, ſed conditionales, id eſt, pendentes ex dignitate ſeu perfectione obœdientiæ & operum. *Leuit. 18. Rom. 10. Deut. 27.*

Differt igitur Euangelium à Lege, genere & differentijs.

RE-

Particula Gratis facit illustre discrimen inter Legem & Euangelium.

Non sunt intempestiuè miscenda dicta Euangelij & sententiæ legales seu politicæ.

Vna & eadem vox Euangelij sonuit in Ecclesia, inde vsq; ab initio, nec alio modo Patriarchæ saluati sunt, alio nos saluamur.

Euangelij promißio, & prædicatio Pœnitentiæ sunt vniuersales.

Sæpe vtuntur Prophetæ phrasi Legis, vbi tamen interpretatio ex Euangelio sumenda est.

Vniuersa Scriptura in hos duos locos præcipuos distribui debet, in Legem, & Promißiones.

Fides non ideo iustificat aut saluat, quia ipsa est opus per sese dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam.

Propositio hæc, Fide sumus iusti, intelligatur Correlatiuè.

Quædam dicta non loquuntur de Personæ, sed de caussæ iusticia. Item, Discernenda est Iusticia personæ & operum.

Fides iustificat Sola, sed non est sola.

Particula Sola, non excludit contritionem aut cæteras virtutes, ne aßint, sed negat eas esse caussas reconciliationis, & transfert caussam in solum Christum.

Sentire Remißionem peccatorum incertam esse, est abolere Euangelium.

CAPVT VII.

De bonis operibvs.

Quæ opera docenda & facienda ſunt?

Præcepta in Decalogo rectè intellecto. *Ezech. 20. Deut. 4.* Ideo enim Devs immenſa bonitate, etiam vocem Legis Moralis, in Eccleſia ſemper, inde vſq; ab Adam ſonare voluit, vt arguat peccatum, & oſtendat, quæ opera, & qui cultus Deo placeant, vt regantur corda in verbo Dei, Fide & operibus. *Pſal. 119. Num. 15. 1. Cor. 6. 1. Ioh. 1.*

Quomodo poſſunt fieri bona opera?

Cum manifeſta ſit infirmitas humanæ naturæ, auxilium nobis oſtenſum eſt in Euangelio. Pollicetur Filius Dei ſeipſum nobis affuturum eſſe, & depulſurum Diaboli ſæuitiam. *1. Iohan. 3. Iohan. 10. 15. 2. Corinth. 3.* Præterea effundit Spiritum Sanctum in corda inuocantium, qui, vt inchoat æternam vitam, ita & motus bonos, Fidem, Dilectionem Dei, veram inuocationem, ſpem, caſtitatem, & alias virtutes in cordibus accendit. *Luc. 24. & 11. Gal. 3. Pſ. 51. Zach. 12. Ioh. 14.* Hoc tantum donum agnoſcamus, grati tenere ſtudeamus, & aſsiduè nos in tantis periculis

culis iuuari petamus. *Psalm. 50. 1. Pet. 5. Rom. 2.*

Quomodo placent Deo bona opera, cum in singulis multum sit sordium, multa peccata & naui non parui?

Bona Opera placent in conuersis ad Deum hoc modo: Primùm, necesse est credere, quod Persona sit reconciliata Deo, propter Christum, Gratis, Fide, non propter dignitatem nostram. *Rom. 3. Gen. 15. Coloss. 2.* Secundo, sciendum est, nos non satisfacere Legi, sed hærere in nobis multa interiora peccata, dubitationes & malas inclinationes, peccata ignorantiæ & omissionis. Et deploranda est nostra immundicies, & repugnandum dubitationibus & affectibus. *Luc. 18. Psal. 143.* Tertiò sciendum est, tamen oportere in nobis esse inchoatam obœdientiam, iuxta præcepta Dei, & hanc Deo placere in reconciliatis, propter Mediatorem. *1. Pet. 2. Ephes. 2.*

Manéntne peccata in Sanctis in hac vita?

Sunt & manent peccata in renatis in hac vita, videlicet, non delicta contra conscientiam, sed interiora mala, mul-

tum caliginis & dubitationum, multæ ignorantiæ, omiſsiones, prauæ inclinationes, & flammæ malorum affectuum, quibus tamen repugnant Sancti, Spiritu, retinentes timorem Dei, Fidem, & inuocationem, nec ruentes contra conſcientiam, ſed deplorantes noſtram infirmitatem, ac petentes & credentes remiſsionem peccatorum. Hæc dicuntur Venalia, ſeu, Non regnantia peccata. *Rom. 8. & 6.*

Quæ ergo ſunt Regnantia peccata?

Sunt Peccata contra conſcientiam, & lapſus contra fundamentum, id eſt, contra articulos Fidei, quibus renati amittunt Spiritum ſanctum, & fiunt rei æternæ pœnæ, ac niſi conuertantur, ruunt in æternas pœnas. *2. Pet. 2. Matth. 12. 1. Cor. 10. Iohan. 3. Gal. 5.* Eadem dicuntur Mortalia, Et ſingularis horum Species eſt Blaſphemia, quæ eſt oppugnare agnitam veritatem à Deo patefactam, vel Perſeuerantia in Epicuræo contemtu Dei, vel deſperatio, aut anteferre Peccatum meritis Filij Dei. *Gen. 4. Ioh. 8.* Reg. *In non renatis omnia peccata ſunt mortalia.*

Qui Peccatores ſunt abiecti à Deo?

Qui

Qui prorſus non audiunt, nec accipiunt Euangelium, aut qui abijciunt Fidem in Christum, antequam hinc diſcedunt, & cauſſa reiectionis eſt Perſeuerantia in peccatis. *Ioh. 3. Pſ. 2. Deut. 8. Oſeæ 13. Rom. 9.*

Quæ eſt Electio ad vitam æternam?

Iudicamus haud dubiè electos eſſe eos omnes, qui miſericordiam propter Christum promiſſam, FIDE apprehendunt, nec abijciunt eam Fiduciam ad extremū. Hæc enim eſt Regula memorabilis, Omnis conuerſus ad Deum, rectè tenens fundamentum, debet credere ſe placere Deo, etiamſi habet delicta ignorantiæ. Item, Promiſsio gratiæ, & prædicatio pœnitentiæ non eſt Particularis, ſed Vniuerſalis. *Ioh. 6. 10. Matth. 11. Epheſ. 1. Ioh. 3. Rom. 3. 10. 11. 8. 1. Tim. 2. Apoc. 14.*

Quomodo poſſum certus eſſe de Electione mea etiam?

Orditur Deus & trahit verbo ſuo & Spiritu ſancto, ſed audire nos oportet & diſcere, id eſt, apprehendere promiſsionem Euangelij, non indulgere diffidentiæ & dubitationi. *Phil. 1. & 2. Eph. 1. Roman. 8.* Quòd ſi audis vocem Euangelij, non repugnes Euangelio, non indulgeas

peccatis contra conſcientiam, aut diffidentiæ, ſed aſſentiaris voci diuinæ, TIBI quoq́ eam ſonare remiſsionem, & ſimul petito auxilium. Hoc cum fit, certum eſt te à Deo trahi & adiuuari: Filium Dei eſſe efficacem, viuificare cor Spiritu ſancto, quem inuocabis, vt te conſeruet in Fide ad finem vſq́. *Rom. 15. 9. Pſ. 95. Ebr. 3. Ioh. 6. Luc. 10. Mar. 9.*

MAXIMAE THEOLOGICAE.

REGVLA.

I.

Nec ex Lege, nec ex ratione iudicandum eſt de Electione, ſed ex Euangelio: Item: De voluntate Dei ex verbo ipſius iudicandum eſt.

II.

Totus numerus Saluandorum propter Chriſtum electus eſt.

III.

Non aliam iuſtificationis, aliam electionis cauſam quæramus.

IIII.

Non merentur homines remiſsionem peccatorum proprijs operibus, neq; coram Deo iuſti ſunt proprijs operibus.

V.

Bona opera ſunt effectus regenerationis, & ſequi Fidem debent tanquam gratiarum actio.

V I.

Quoties requiruntur & probantur opera, addendum est Euangelium de Christo, videlicet non placere, nisi propter Fidem in Christum.

CAPVT VIII.

De Ecclesia.

Declara quid sit Ecclesia, & quæ sint signa Ecclesiæ propria.

Ecclesia visibilis in hac vita, est cœtus visibilis amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè vtentium Sacramentis, in quo cœtu Filius Dei efficax est, & voce Euangelij & Spiritu sancto, multos regenerat ad vitam æternam. Suntq; in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes. *Matth. 18. Psal. 19. Ebr. 10. Psal. 84. 92. 27. Rom. 8. Luc. 17. Matth. 13.*

Quæ sunt signa Ecclesiæ propria?

Signa non fallacia simul hæc tria sunt:

1. Consensus in doctrina Euangelij incorrupta, in Fundamento. *Gal. 1.*
2. Legitimus vsus Sacramentorum. *Psalm. 26.*
3. Obœdientia debita Deo sub cruce, & debita Ministerio iuxta Euange-

 lium.

lium. *Apoc. 2. 3. 7. 1. Cor. 1. Luc. 10. Ebr. 13.*

Quid sunt Symbola Ecclesiæ?

Symbola vocarunt breuem articulorum seu omnium seu præcipuorum doctrinæ Euangelij collectionem, quæ sit norma & fundamentum confeſsionis Christianæ, & in quotidiana inuocatione consideranda est, vt cogitatione testimoniorum doctrinæ, & patefactionum diuinarum, & miraculorum omnium temporum, Fides confirmetur. *1. Corinth. 3. Eph. 2. 2. Cor. 10.*

An necesse est, singulos homines saluandos, fieri ciues veræ Ecclesiæ?

Prorsus necesse est, singulos saluandos, iunctos esse cum vera Ecclesia, Fide, Confeſsione, Inuocatione Dei & voluntate seruandæ Ecclesiæ, seu coniunctionis in Ecclesia. *1. Cor. 1. Ebr. 10. Gal. 1. Psal. 27. 84. 92. Rom. 8.*

Quid est cultus Dei in Ecclesia?

Est opus à DEO mandatum, factum in Fide, id est, vera agnitione & Fiducia Mediatoris, quod refertur ad hunc finem, vt Deo tribuatur honos, id est, vt teste-

teſtemur, hunc verè eſſe Deum, quem ſic colimus, & eum ſic velle coli. *Ezech. 20.*

Quæ ſunt Sacrificia?

Sacrificium eſt Ceremonia, vel opus quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus, & pro accepta remiſsione peccatorum, & pro alijs beneficijs gratiam agamus. Sunt autem Sacrificia laudis, prædicatio Euangelij, legitimus vſus Sacramentorum, Fides, Inuocatio, Gratiarum actio, Confeſsio, Afflictiones ſanctorum, & omnia bona opera Sanctorum, quæ non ſunt ſatisfactiones pro facientibus, vel applicabiles pro alijs, vt mereantur eis ex opere operato remiſsionem peccatorum, ſeu reconciliationem. Fiunt enim à reconciliatis, & ſunt cultus Spirituales, hoc eſt, Iuſticia Fidei in corde & fructus Fidei. *1. Pet. 2. Rom. 12. Ebre. 13. Ioh. 4. Ierem. 7. Pſal. 51. 116. Rom. 15.*

REGVLAE.

1. *Non de Eccleſia loquimur, vt de Idea Platonica, ſed monſtramus Eccleſiam.*
2. *Complexum non eſt viſibile, tamen ſubiecta in multis propoſitionibus viſibilia eſſe neceſſe eſt.*
3. *Omnes ſaluandos oportet inſeri Eccleſiæ in hac vita.*

Extra

4. *Extra Ecclesiam non est salus.*
5. *Ecclesia neq; ad ordinariam successionem, neq; ad certum aliquem locum est alligata, sed ad ipsam doctrinam incorruptam Euangelij.*
6. *In Ecclesia nemo debet niti propria authoritate, iudicandi de scriptura.*
7. *Vnicum Sacrificium est ἱλάσικον, scilicet, tota Christi obœdientia. Aliorum piorum omnium Sacrificia sunt Eucharistica, & hæc aut sunt typica, aut Moralia.*

CAPVT IX.

DE SACRAMENTIS, QVAE SVNT SIGNA ECCLESIAE PROPRIA.

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia?

Sacramentum in nouo Testamento, vt Ecclesia loquitur, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditæ, vt sit testimonium & pignus exhibitæ & applicatæ promissionis gratiæ, videlicet Baptismus & Cœna Domini. *Gal. 3. Ephes. 3. Roman. 4. Gen. 17. Exod. 12. Deut. 4. 12. Num. 9.*

Quid est Baptismus Ecclesiæ Christi?

Est instituta à Filio Dei mersio in aquam, cum pronunciatione verborum, Ego

Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, teſtificans, quia hoc teſtimonium diuinitus inſtitutum eſt, eum, qui cum hac pronunciatione verborum mergitur, recõciliari Deo propter Chriſtum, & ſanctificari Spiritu ſancto, ad vitam æternam. *Matth. 28. Mar. 16. Epheſ. 5. 1. Pet. 3. Tit. 3.*

Quæ eſt ſententia verborum Baptiſmi: Ego baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti?

Ego (*miniſter*) hoc ritu teſtificor in nomine, id eſt, mandato diuino, te, qui ſic mergeris, recipi à vero Deo in gratiam, qui eſt æternus Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, & Filius, & Spiritus ſanctus, & recipi te, propter Filium, & ſanctificari te Spiritu ſancto: Et ego teſtificor te recipi IN NOMEN, id eſt, agnitionem & inuocationem veri Dei, qui eſt æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Filius, & Spiritus ſanctus, & recipi te, propter Filium Redemtorem Eccleſiæ, & ſanctificari credentem Spiritu ſancto, quem agnoſces & inuocabis, & palàm viciſsim teſtaris hoc Baptiſmo, te omnia commentitia numina execrari. *Iohan. 1. Luc. 3. Actor. 2. 1. Pet. 3. Tit. 3. Gal. 3.*

Ephes. 2. 5. 1. Ioh. 1. Rom. 6. 1. Pet. 1. Coloss. 3. Iohan. 3.

Súntne recens nati Infantes baptizandi?

Infantes ſunt baptizandi, & confirmatio hæc eſt ex Euangelio ſumta, quia ad infantes pertinet promiſsio gratiæ & ſalutis æternæ. *Gen. 17. Matth. 19. Marc. 10. 1. Cor. 7. Hiere. 1.*

Quid eſt Cœna Domini, & qualium rerum ſit communicatio in Cœna?

Cœna Domini eſt communicatio corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV CHRISTI, ſicut in verbis Euangelij inſtituta eſt, in qua, ſumto Pane & Vino, Filius Dei verè & ſubſtantialiter adeſt, & teſtatur, ſe applicare credentibus ſua beneficia; & ſe aſſumſiſſe humanam naturam propter nos, vt nos quoq; ſibi inſertos Fide & obœdientia, membra ſua faciat: & nos ablutos eſſe ſanguine ſuo: ſimul etiam teſtatur ſe velle in credentibus deinceps eſſe: & ſe, cum ſit λόγος æterni Patris, docere, viuificare & regere credentes. *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. Ioh. 15. Matth. 28. 1. Tim. 2.*

COENA

Coena Domini non est inane spectaculum, sed Christus reuera adest, dans per hoc ministerium, suum corpus & sanguinem manducanti & bibenti. Hæc Persona quæ est Deus & Homo, verè & substantialiter adest in hac sumtione, & applicat sese & sua beneficia communicatione corporis & sanguinis sui *(ex Locis & Repet.)* Quam verè enim Verbum caro factum est, tam verè nos Verbum, carnem factum cibo Dominico sumimus, vt Hilarius inquit.

Quid de hac Cœna homini orthodoxo breuiter sentiendum est?

Firmissimè tenendum est, quòd hoc Sacramentum Altaris sit verum Corpus, & verus sanguis Domini nostri IESV CHRISTI, in, sub, cum Pane & Vino nobis Christianis ad manducandum ac bibendum, ab ipso CHRISTO institutum. *Hæc Lutherus.*

Et statuendum est, sententias Patrum ἐκτῶς asseuerare, quòd Corpus Domini verè assit in Cœna Dominica, neq; vlla satis firma ratio inueniri potest, cur ab hac sententia discedendum sit. *Hæc Philippus.*

Quis est fructus sumtionis?

Vsi-

Vsitatè respondetur, quod sumtio fiat ad confirmandam Fidem, videlicet, vt applicentur credenti beneficia Christi. *Matth. 26. Rom. 4.* Estq; hic principalis fructus, hoc testimonio confirmare Fidem, & statuere, quòd hóc tanquam pignore seu sigillo, Filius DEI se tibi applicare sua beneficia testetur, & quòd assumserit humanam naturam propter nos, vt nos sibi insertos tanquam surculos seruet. *Ioh. 15. Rom. 4.* Nam Sacramenta sunt testimonia applicationis, quod necesse est intelligi, non (vt Papistæ loquuntur) ex opere operato, id est, sine bono motu vtentis, in adultis, sed cum seriò agunt pœnitentiam, & Fide accipiunt. *Hoc enim est dignè manducare. 1. Cor. 11.*

Semper autem in Cœna Domini hæc facienda sunt ordine, publicè, & priuatim.

I. Proponenda est doctrina de beneficijs Christi, de testimonio & promissione noui Testamenti, de Pœnitentia & Fide. *Matth. 14. Luc. 22. Ebr. 9.*

II. Facienda est inuocatio. *Matth. 18.*

III. Sumtio, qua Fides confirmetur in conuersis, qui statuãt verè sibi applicari beneficia Mediatoris. Et in eo ex-

eo exercitio Fidei, ſumtio habet rationem Sacramenti, quia accipit beneficia Filij Dei. *Matth. 26.*

IIII. Accedat gratiarum actio, publicè & priuatim, de toto beneficio redemtionis & collectionis Ecclesiæ, & de alijs beneficijs ſpiritualibus & corporalibus. Ideo vetuſtas vſa eſt nomine ἐυχαριςίας.

REGVLAE.

1. *Filius Dei colligit æternam Eccleſiam, voce Euangelij & vſu Sacramentorum, non aliter.*
2. *Sacramenta ſunt ſigna gratiæ, id eſt, reconciliationis gratuitæ, & voluntatis Dei erga nos. Item, Sunt applicatio generalis promiſsionis ad ſingulos.*
3. *Nulla creatura poteſt inſtituere Sacramentum, vel opus quod habeat rationem Sacramenti.*
4. *Nihil habet rationem Sacramenti, extra vſum, qui inſtitutus eſt à Deo.*
5. *In omnibus ſunt genuinæ ſordes peccati, quas per aquam & ſpiritum aboleri oportet.*
6. *Locutiones de myſterijs Cœnæ Dominicæ, ſecundum τὸ ῥητὸν dextrè intelligendæ ſunt.*
7. *Vtraq; pars Cœnæ Dominicæ inſtituta eſt pro tota Eccleſia.*

8. *Necesse est Missam Papisticam taxari, vitari, & aboleri, quia est palàm Ethnica & Idolatrica.*

9. *Sacramenta non habenda sunt pro nudis ac vacuis signis, nec transformanda in ritus politicos seu allegoricos rerum absentium.*

Vlt. Reg. Verissimè ac certissimè adest Christus ipse in ministerio Verbi & Sacramentorum, & in Ecclesia est efficax ipse per Verbum & Sacramenta, per quæ & se, & beneficia sua nobis communicat.

CAPVT X.

DE POENITENTIA SEV CONVERSIONE AD DEVM, QVAE EST REPETITIO, ET QVASI PRACTICA SVPERIORVM DOCTRINARVM.

Quid est Pœnitentia seu Conuersio ad Deum?

Est Contritio, id est, verus pauor & dolor cordis propter peccata nostra: & Fide in Christum accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, iustificationem & viuificationem: & incoare nouam obœdientiam. *Ioël. 2. Ezech. 18. 33. Oseæ 11. Psalm. 37. Actor. 2. 20. Roman. 3. 1. Iohan. 2.*

Quot

Quot sunt partes Pœnitentiæ?

Tres ſunt: Contritio, Fides, & Noua obœdientia. *Apoc. 2. Acto. 3.*

Quid eſt Contritio?

Eſt verè expaueſcere agnitione iræ Dei aduerſus peccata noſtra, & dolere quod Deum offenderimus. *Eſa. 38. 66. Hiere. 13. 2. Cor. 7. Rom. 6. Pſal. 62.*

Quid eſt Fides?

Eſt aſſentiri omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc promiſsioni gratiæ: & eſt Fiducia promiſſæ miſericordiæ, qua cor propter Mediatorem & per eum liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum, & inuocat eum, clamans, Abba Pater, & hac vera conſolatione & lætitia, acquieſcit in Deo, propter Mediatorem, & viuificatur per Filium, dato Spiritu ſancto. *Gal. 3. Rom. 1. 5. 6. 8. Abac. 3. Ezech. 33. Ioh. 3. Coloſſ. 2. Act. 10.*

Quid nominatur Noua obœdientia?

Noua obœdientia proprijſsimè eſt iuxta Pauli definitionem, Militare bonam militiam, retinere fidem & bonam conſcientiam. Eſt autem verè & ſine hypocriſi ſtatuere, & velle Deo obœdire, & reti-

nere iustitiam bonæ conscientiæ, & voluntas nostra adiuuatur à Spiritu sancto. *1.Tim.1.Ioh.15. Luc.11. Rom.6.8. Phil.2.*

Quis est vsus vocabuli Confeßionis, quantum ad doctrinam Pœnitentiæ attinet?

I. Confessio in scriptis Propheticis, & historijs Ecclesiæ, alibi significat veram Contritionem erga Deum, qua homo immediatè coram DEO dolet se habere peccata, & Fide petit remissionem culpæ, & mitigationem pœnarum. *Dan.9.Mich.7. Psal.32.51.38. Thren.3.*

II. Secunda significatio est, Confessio offensionis, & petitio reconciliationis apud homines offensos. *Iacob.5.Matth.5. Iosua 7.*

III. Tertiò est Confessio, apud administrantes Sacramenta, & petitio Absolutionis priuatæ. *Luc.17.Ioh.20.Matth.18.*

Quid est Absolutio in Ecclesia?

Est potestas clauium, atque etiam applicatio promissionis gratiæ ad singulos vel vniuersos, iuxta hæc verba Christi: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt: & quorum retinueritis, retenta sunt. Estque illustre testimonium, ostendens in Euangelio

gelio institutum esse Ministerium, annunciandi remissionem peccatorum, multis aut singulis. *Matth. 9. 16. Ioh. 20. Matth. 18. Luc. 17.*

Quid sunt Claues Ecclesiæ, seu regni cælorum?

Claues significant domesticam gubernationem, & totum munus, id est, Mandatum docendi Euangelium, annunciandi remissionem peccatorum, administrandi Sacramenta singulis aut pluribus, vocandi ministros: & est potestas excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & excludendi ex regno Dei sine vi corporali, & rursus absoluendi eos, si conuersi petant absolutionem iuxta Euangelium. *Matth. 16. 18. 20. Ioh. 20. Tit. 1. 1. Pet. 5. 1. Cor. 5. Rom. 1.*

MAXIMAE THEOLOGICAE.

1 *Necesse est in hac vita ante mortem corporalem fieri conuersionem ad Deum.*

2 *Pœnitentia vera nunquam sera, Pœnitentia sera rarò vera.*

3 *In vera Contritione non tantum externa delicta, sed etiam interior immundicies deploranda est.*

Nulla potest esse sufficiens Contritio nostra, nec Contritio meretur remissionem.

Pœnitentia tum demum firma & integra est, cum ad Contritionem accedit Fides.

Confeßio priuata retinenda est in Ecclesia, sed absque superstitione enumerationis.

Renati labi possunt, & lapsi contra conscientiam non placent Deo, nisi rursus conuertantur.

Remißio culpæ prorsus eadem est, quæ est remißio pœnæ æternæ.

Remißio culpæ, à remißione pœnæ temporalis in hac vita, distincta est.

CAPVT XI.

DE CAVSSIS CALAMITATVM ET LOCIS CONSOLATIONVM ECCLESIAE.

Quare Ecclesia subiecta est Cruci?

Tota doctrina de caussis humanarum calamitatum consideranda est, quæ in sola Ecclesia diuinitus patefacta est, & est ignota sapientiæ humanæ & philosophiæ, vt posſit Ecclesia aduersus scandala præmuniri & doceri, cur tantis ærumnis subiecta sit.

Recense caussas principales & præcipuas.

Prima caussa est, Lapsus primorum parentum, & reliquiæ peccati, hærentes in hac corrupta natura, ideo Ecclesia DEI subiecta est morti corporali, & cæteris ærumnis, & multi in Ecclesia habent actualia delicta atrocia, quæ puniuntur singularibus pœnis, vt Dauidis adulterium &c. *Rom. 5. 8. Gen. 5. Mich. 5. 2. Reg. 12.*

Secunda, quia DEVS præcipuè in Ecclesia vult intelligi iram suam aduersus peccata, & crescere pœnitentiam, lucem fidei & inuocationem, & reprimi prauas inclinationes, *Psal. 119. 1. Cor. 11. Hiere. 46. 1. Pet. 4. Ebr. 12. Esa. 26.*

Tertia caussa, quia Diabolus ardet maiore odio Christi, & Ecclesiæ rabiosius insidiatur, quàm alijs gentibus. *Gen. 3. Luc. 22. 1. Pet. 5. Apoc. 12. Matth. 12.*

Quarta, vt afflictiones & Mors Sanctorum sint testimonium de secuturo iudicio, & restare aliam post hanc vitam. *1. Pet. 4. 2. Cor. 4.*

Quinta caussa, Deus vult vt neces & supplicia Sanctorum sint testimonium de doctrina, quod verè sic sentiant, nec sui commodi caussa circumferant doctrinam, & præcipua membra Ecclesiæ vult insigniter conspici conformia imaginis Christi. *2. Tim. 3. Apoc. 17. Psal. 44. Rom. 6.*

Quæ ſunt Capita præcipua conſolationum traditarum in doctrina cœleſti?

Primum, omnes homines, & præcipuè Eccleſiam oportet ſtatuere, non caſu nos affligi, ſed ſciente Deo. *Hiob. 1. Matth. 10. Thren. 3. Eſa. 45. Soph. 1. 1. Reg. 2.*

Secundum, quod Deus puniat aut exerceat, non vt perdat nos, ſed vt nos retrahat ad pœnitentiam, aut exuſcitet, vt creſcant in nobis timor, inuocatio, & cæteræ virtutes. *Eſa. 26. 28. 1. Cor. 11. Pſ. 115. 119.*

Tertius locus conſolationis eſt Remiſſio peccatorum, & promiſsio auxilij, mitigationis pœnarum, præſentiæ Dei & liberationis, etiam ex corporalibus miſerijs. Etſi enim Deus non prorſus liberat, tamen mitigat in hac vita, vt poſsimus ſufferre. *Pſ. 32. Naum. 1. Ioël. 2. Pſ. 50. 147. 6. 130. 78. Eſa. 57. Hierem. 10. Oſeæ 11. Abac. 3. Eſa. 64. 1. Cor. 10.*

Tandem exemplum Chriſti nobis proponamus obœdientiæ, patientiæ & tolerantiæ in ærumnis. *1. Pet. 2. Hebr. 12.*

Quæ conſolatio petenda eſt ab Exemplo Chriſti in conſternationibus?

CHRISTVS eſt exemplum omnium maximum, patientiæ & obœdientiæ ac manſue-

mansuetudinis, qua se vera reuerentia & humilitate admiranda, æterno Patri, volens subiecit, & acerbissimos cruciatus, sine indignatione & fremitu, sustinuit, feramus ergo nos quoq; afflictionem pro nostra mensura. *Esai. 53. Phil 2. 2. Tim. 2. Ebr. 5.*

II. Sciamus ideo pro nobis sustinere Christum nostras pœnas, ne nos succumbamus in afflictionibus, aut abijciamur in æternum. *1. Pet. 2. Matth. 11.*

III. Filius Dei assumsit humanam naturam, propterea, vt conseruet eam, & nobis opituletur in corporalibus malis & morte ipsa: Nam hæc propria sunt Filij Dei officia, liberare à cunctis malis, ab ira Dei, à morte æterna, & pœnis alijs iram Dei comitantibus, cum sit noster IMMANVEL. *Róm. 8. Esa. 49. Ioh. 16. 1. Pet. 1. Esa. 66. 7.*

REGVLAE.

Iustis debet bene esse, scilicet iuxta reuelationem Euangelij, cum erunt prorsus liberati à peccato, consummatione nouitatis.

Aliæ afflictiones sunt ζημωσίαι, aliæ δοκιμασίαι & μαρτύρια. Solius autem Christi obædientia est λύτρον, id est, precium pro peccatis.

Item, alia sunt mala αὐτόματα, quæ præter nostram culpam accidunt: alia ἑκούσια, quæ errore vel contumacia ipsi nobis accersimus, quorum tamen fons est peccatum.

Per quæ quis peccat, per ea punitur.

In omni consolatione sic tantum minuitur dolor, cum obiectum bonum intuemur.

Item: Leuatur dolor, cum scimus nos à Deo iuuari, & spem habemus mitigationis in hac vita.

Certissimum est efficaciam consolationum experiri conuersos ad Deum, in vera inuocatione.

In diuina consolatione prius assentiendum est verbo externo, deinde sequitur sensus consolationis. In Philosophia verò sequitur assensio experientiam.

CAPVT XII.

DE INVOCATIONE ET GRATIARVM ACTIONE.

Quid est Inuocatio, seu Adoratio?

Est, aut petere à Deo propter Mediatorem bona necessaria, aut pro beneficijs Deo aut Mediatori gratias agere, & celebrare laudes Dei, aut certè est doctrina ostendens quid & qualis sit Deus. *Phil. 4. 1. Tim. 2. Coloss. 4. 1. Pet. 2. Ebr. 13.*

Quid

Quid est Petere seu Precari?

Bona spiritualia & corporalia, æterna & præsentia, petere & expectare à vero Deo, & certò statuere nos recipi à Deo, & preces nostras exaudiri, iuxta promissionem propter Christum Mediatorem. *Luc. 11. Psal. 50. Deut. 6. Iohan. 16. Luc. 18. 1. Thess. 5.*

Quomodo facienda est Inuocatio seu Petitio?

Necessaria est præcipuè harum rerum consideratio: PRIMO, Cogitandum est, quid & quem Deum, vbi patefactum, inuoces, vt discernas tuam inuocationem ab Ethnica. Sit directa mens ad hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio Domino nostro IESV CHRISTO, crucifixo & resuscitato: Et quidem nominentur Personæ initio precationis, & cogitetur, quæ cuiusque sit proprietas, & discernatur DEVS ab omnibus creaturis, & inuocatio vera ab Ethnica. *Ekr. 5. Psalm. 50. Ioh. 4. Deut. 6. Matth. 4.*

Secunda consideratio est Præcepti, cogitandum est, Deum velle coli, petitione gratiæ, & aliorum donorum; vt discernatur à malis naturis, & tribuatur ei hic ho-

nos, quod ſit ſapiens, bonus, beneficus, dator vitæ, ſapientiæ, & aliorum bonorum. *Matth.7.Luc.18.*

Tertia conſideratio eſt promiſsionis, neq; conuerſio ad Deum, neq; inuocatio fieri poteſt, niſi ſimul promiſsione Gratiæ, & Fiducia Mediatoris erigamur, vt accedamus ad Deum. *Matth. 6. 1. Tim. 4. Pſal. 37. Epheſ.3. Rom. 5. 10.*

Quarta conſideratio eſt de Fide, quam oportet in ſpecie ſpiritualia bona petere & expectare, ſine conditione, quia Deus vult hæc nominatim peti, ſed bona corporalia petenda ſunt cum conditione, nec tamen irrita eſt precatio. *Ezech.33.Pſ. 130.Zach.10.2.Reg.15.Matth.26.*

Quinta conſideratio eſt rerum petendarum, quæ non ſunt prohibitæ à Deo, & quarum petitio congruit cum Decalogo, & promiſsionibus diuinis, de bonis ſpiritualibus & corporalibus. *Ioh. 16. Iacob. 2. 1.Ioh.5.*

Quid eſt Gratiarum actio ad Deum?

Eſt Veritas, quæ profitetur accepta eſſe à Deo beneficia, & verè eſſe Deum, eſſe omnipotentem, præſentem & opitulatorem, Et eſt opus Iuſtitiæ, qua te obligas, ad

ad officia Deo grata. *Psal. 47. 33. 34. 50. 103. 1. Thess. 5.*

Formæ Inuocationum & Gratiarum actionis habentur infra.

Súntne inuocandi Sancti, qui ex hac vita discesserunt?

Non: Quia est corruptela Ethnica, & Idolatria horrenda, quæ in Maiestatem & gloriam Dei contumeliosa est & blasphema. *Matth. 4. 11. Esai. 46. 64. Apocal. 19. 22.*

THEOLOGICÆ GNOMÆ SEV MAXIMAE.

1. *Inuocatio veri Dei est summus cultus Ecclesiæ.*
2. *Non est difficilius opus precatione, igitur fideliter exerceatur: Agathonis Eremitæ.*
3. *Inuocatio est solius Ecclesiæ propria.*
4. *In qualibet vera Inuocatione, fit aut crescit Conuersio, seu Pœnitentia ad Deum.*
5. *Non peti alia bona possunt, nisi prælucente promißione Gratiæ.*
6. *Fidem, quæ petit remißionem, oportet in specie hæc ipsa bona petere & expectare, sine conditione.*

Fides

7. *Fides, quæ petit bona corporalia, petit cum conditione.*

8. *DEVS non dat euentus mox, & ijs modis, quos cogitat humana ratio, quæ admonitio de mora & modo diligenter tenenda est.*

9. *Oportet semper orare, & non languefieri.*

10. *Preces & lachrymæ sunt arma Ecclesiæ.*

11. *Plerunq; præcepta coniuncta sunt de petitione & gratiarum actione, quia vtraq; necessaria est ad agnitionem Dei.*

CAPVT XIII.

De christiana libertate.

Quot sunt gradus Christianæ Libertatis?

Docendi caussa gradus distinguuntur, & sunt hi:

1. Primus est Gratia, id est, liberatio à Lege, & Condemnatione æterna, quod videlicet certò dantur remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iusticiæ propter Mediatorem, gratis, Fide, qua fit viuificatio & liberatio ab æterna morte, & donatur hæreditas vitæ æternæ. *Esa.43.52. 1.Iohan.1. Zach.12. Rom.6.Luc.1. 1.Pet.5.*

Secun-

II. Secundus eſt donum per Gratiam, id eſt, Filij efficacia in credentibus per Euangelium & per Spiritum ſanctum, quæ efficacia eſt viuificatio, id eſt, conſolatio & inchoatio vitæ æternæ, (qua à peccato, morte, diabolis, & omnibus miſerijs liberi, habemus etiam libertatem faciendi pia & Deo placentia opera) *Ioh. 8. Rom. 15. Gal. 3. Oſeæ 11.*

III. Tertius, eſt liberatio à Ceremonijs & Forenſibus Legibus Moyſi: Et liberatio à traditionibus humanis. *Act. 10. 15. Gal. 5. Col. 2. Ezech. 20. Matth. 15.*

Regulae.

Liberat Filius Dei dupliciter, Merito & Efficacia.

Non ſunt alligati Chriſtiani ad vllius gentis politiam.

Vbi eſt opus ordine lectionum & temporum, fiat ſine opinione cultus, & ſine opinione neceſſitatis.

Extra caſum ſcandali ritus inſtituti ab Eccleſia poſſunt omitti.

CAPVT XIIII.

De ordinibvs in commvni vita, hoc eſt,

DE CONIVGIO, MAGISTRATIBVS, ET GVBERNATIONE ECCLESIASTICA.

Quid eſt Coniugium?

Coniugium eſt legitima & indiſſolubilis copulatio vnius Maris & vnius Fœminæ, inſtituta diuinitus, vt agnoſcamus, DEVM eſſe mentem caſtam, & ei in caſtitate ſeruiamus, & hoc modo propagato genere humano, colligatur Eccleſia Deo. Et quidem Eccleſiæ initium fuit, illa prima ſocietas duorum Coniugum. *Gene. 2. Leuit. 18. 20. Matth. 19. 1. Cor. 7.*

Quid eſt Magiſtratus Politicus?

Magiſtratus Politicus, eſt Perſona à Deo ordinata, ad conſeruationem Legis in externa diſciplina, & quidem vtriuſq; tabulæ Decalogi, & ad pacis defenſionem, & habet poteſtatem puniendi vi corporali. *Sap. 6. Rom 13. 2. Paral. 20. Dan. 2.*

Quid differt à Politia, gubernatio Eccleſiaſtica?

Miniſter Euangelij, eſt Perſona ordinata à Deo, mediatè vel immediatè, ad docendum Euangelium, ad Sacramentorum

rum administrationem, & ad puniendum verbo, non vi corporali, per hoc ministerium spirituale, DEVS est efficax, dat remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum, & multos regenerat ad vitam æternam. *Ephes. 4. Ioh. 20. 2.Cor. 1. Luc. 22.*

Quæ sunt præcipua officia Magistratus Ciuilis?

Quatuor sunt: Primum sonare vocem Decalogi, in genere humano. Intelligatur autem appellatione Decalogi, vniuersa Lex naturæ. Ac vult Deus primas normas esse omnium Legum, & vniuersæ gubernationis, has Leges quarum summam in Decalogo complexus est, quem rectè vult intelligi. *Deut. 3. Esa. 3. 2. Paral. 19. Prouer. 8.*

Secundum est, Magistratus sit executor Legum Decalogi in punienda earum violatione vi corporali. *Rom. 13. Ge. 9. Deut. 27. Leuit. 24.*

Tertium est addere Leges Decalogo, id est, legibus naturæ de ciuilibus negocijs, sed hæ additiones non pugnent cum legibus naturæ: Verùm sint determinationes certarum circumstantiarum additæ communibus notitijs naturalibus. Non condant dogmata in Ecclesia, nec insti-

tuant cultus Politici Magistratus. *Prouerb.* *20.Deut.1. 1.Thess.4. 1.Pet.4.*

Quartum est, Magistratus sit executor etiam suarum Legum, in pœnis vi corporali. Et habent pœnæ suos gradus. *Sirach. 10. Psal.101. Exod. 23. Prouerb.11. Rom. 13. 2. Par. 19.*

Quæ sunt officia Subditorum?

Subditi vicissim Magistratibus debent honorem & amorem seu reuerentiam: obedientiam: tributa: omnia officia externa, & vt vota faciant pro Magistratu. *Rom.13. Prou.22. 1.Reg.8. Tit.3.1.Tim.2.*

REGVLAE.

1. *Summus amicitiæ gradus est fœdus coniugale.*
2. *Et Coniugium & Politicus ordo res sunt à Deo æterno institutæ & approbatæ, expressa voce diuina.*

REGVLÆ DE CONIVGIO AD GRADVS DISCERNENDOS.

I.

Quot sunt Personæ, tot sunt gradus, vna demta videlicet stipite in recta linea ascendentium & descendentium.

Item:

Item: Nulli aſcendentes & deſcendentes inter ſe poſſunt connubium contrahere.

I I.

In linea æquali quoto gradu diſtat perſona altera à communi ſtipite, toto gradu inter ſe diſtant, intellige de collateralibus.

I I I.

In linea inæquali, quoto gradu remotior diſtat à ſtipite, toto inter ſe diſtant.

I I I I.

Quoto gradu quiſpiam eſt mihi conſanguineus, toto gradu vxor eius eſt mihi affinis.

V.

Conſanguinei mei, non ſunt affines conſanguineis vxoris meæ.

V I.

Perſonæ addita Perſona, per Coniugium mutat genus attingentiæ, ſed non gradum.

V I I.

Prohibitiones diuinæ nequaquam ſolui humana authoritate poſſunt: ſed interdum probabilis ratio incidere poteſt, quare humanæ prohibitiones laxentur.

V I I I.

Prohibitiones de Cognatione ſpirituali prorſus reijciendæ ſunt.

Cum hæ R
gulæ omn
recitentur
inExamin
habeant h
ſuum locu
etiamſi pu
ris non pr
ponantur
ſingulæ.

IX.

Non quærendum est, quomodo excusandi sint Patres de polygamia, quia Sancti non sunt sine vitijs sui temporis.

X.

Coniugia mutuo consensu iunguntur, à quo absit error & violentia.

XI.

Desponsationes iudicentur irritæ refragantibus parentibus, in Ecclesijs harum regionum.

XII.

Conditio honesta, & pertinens ad Coniugium, adiecta in principio contractus, si non fuerit impleta, dissoluit contractum.

XIII.

Si verò est conditio peregrina, non pertinens ad Coniugium, intelligitur esse ociosa, & pronunciatur pro Coniugio.

XIIII.

Dissolui possunt Sponsalia & Coniugium propter errorem Personæ, non propter errorem fortunæ.

XV.

Nec captiuitas dissoluit Coniugia, nec deportatio, nec morbi contagiosi & incurabiles.

Con-

XVI.

Coniugium est mundum in credentibus, quia est sanctificatum verbo Dei.

XVII.

Euangelium permittit Coniugium his, quibus opus est, nec tamen cogit ad Coniugium, qui continere volunt, hanc libertatem & Sacerdotibus concedendam esse manifestum est, nec stabiliend a est Lex de perpetuo Cælibatu.

DE MAGISTRATIBVS EX LOCIS.

REGVLA.

I.

Euangelium nec abolet nec improbat Oeconomicum & Politicum ordinem.

II.

Et concessum est Christianis facere Oeconomica & Politica opera, & necesse est eos iuxta vocationem in illis officijs seruire ciuili vitæ.

III.

Euangelium non præcipit, vt nostræ politiæ regantur legibus Forensibus Moysi, nec nouam aliquam corporalem Politiam constituit, sed præcipit vt præsentes politias tueri & ornare studeamus.

IIII.

Euangelij doctrina seuerè præcipit de obœdientia, & affirmat peccatum mortale esse non obœdire mandatis legitimi Magistratus, si tamen non iubeant facere contra mandata Dei.

V.

Non est obœdiendum cum homines mandant, vt faciamus contra mandata Dei, sed mandatum Dei est anteferendum.

VI.

Non licet Magistratibus facere contra ius diuinum, & contra ius naturale.

VII.

Ad Principum & Magistratus ciuilis officium præcipuè pertinet cura literarum & scholarum iuuandarum.

VIII.

Politicus gubernator sit custos tabularum vtrarumq; Legis Moysi, quod ad externam disciplinam attinet.

IX.

Magistratus, vt cæteri pij considerent etiam dogmata, & si quis falsas & impias opiniones serit aut defendit, hunc iudicent esse Anathema aut compescant.

Doctrina cœlestis amplius flagitat, quàm Leges ipsæ, & iubet honore affici Magistratus.

Discernendæ sunt res & Personæ.

Regulariter impossibile est, effugere pœnas in hac vita eos, qui ciuilem iustitiam violant, & potestatibus resistunt.

REGVLAE DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

I. *Tenendum est discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij.*

II. *Episcopi non habent authoritatem condendi leges, ad consequendam vitam æternam.*

III. *Non debent Episcopi traditiones contra Euangelium condere, aut traditiones suas contra Euangelium interpretari.*

IIII. *Habet Episcopus potestatem ordinis, & iurisdictionis, sed neq; regiam, hoc est, supra legem, neq; tyrannicam, hoc est, sine certa lege, nec sequitur quod possit nouos cultus instituere.*

V. *Romanus Pontifex non est super alios Episcopos & Pastores iure diuino, nec habet vtrumq; gladium.*

REGVLA TENENDA IN OMNI GVBERNATIONE.

Primum amplectere Verbum DEI, & DEO obœdias, postea euentus commenda DEO, Nec omnes euentus possunt prospici & regi humano consilio.

CAPVT XV.

DE REGNO CHRISTI.

Quale, & quid est Regnum Christi?

Non est mundanum imperium, sed spirituale Regnum, & est Filium Dei missum esse ad Ecclesiam, initiò prolata promissione, & colligere ac seruare Ecclesiam, & deinde assumta humana natura, post resurrectionem exaltatum esse, & iam hanc Personam, quæ est DEVS & homo, sedere ad dextram Patris, seruare & restituere Ministerium Euangelij, & colligere & viuificare Ecclesiam Verbo, & dato Spiritu sancto, & protegere eam mirabiliter contra diabolos & tyrannos, & post hanc vitam resuscitare eam, & dare æternam salutem & gloriam. *Ioh. 20. Luc. 22. Ioh. 17. Rom. 8. Esa. 11. Ephe. 3. 2. Cor. 6. 1. Ioh. 3.*

Quid

Quid est resuscitatio Mortuorum?

Est actio Dei externa, qua hæc ipsa corpora nostra iam à nobis gestata, diuinitus recepta vita ex monumentis proditura sunt, à regenerationum & corruptionum vicissitudine vindicata, & renouata cum totius naturæ innouatione, & nos communicatione, lucis, sapientiæ, & iusticiæ diuinæ, ac vitæ æternæ, fruemur. *Iob.19.Esa.24.26.35. Dan.12.Ioh.5.6. 1.Cor.15. Ezech.37. Psal.16.32.34.49.*

Quid nominatur Vita æterna?

Vita & gloria æterna, est status beatorum, post hanc vitam, in qua DEUS illos in vniuersum liberatos, à peccato & morte, perfundet coràm sua luce & sapientia, & implebit sua iustitia & læticia, qua inflammati, agemus DEO gratias indesinenter, & bonitatem ipsius ac misericordiam perpetuis laudibus celebrabimus. Hac nihil sapientius, nihil melius, nihil tranquillius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest, vbi DEVS erit omnia in omnibus. *Esai. 65. 66. Oseæ 13. Matth.25.22. Ioh.3.10. 1.Cor.4.*

Hic est Finis omnium bonorum, quæ præcipuè ab hominibus expetenda sunt,

confirmans nos de immortalitate, & de cessatione omnium miseriarum, quibus hæc mortalis vita obnoxia est.

Regulae.

Figuras corporalis politiæ, interdum accommodatas ad Regnum Christi æternum necesse est allegoricè intelligi.

Prophetæ cum de Christo loquuntur, sæpe figuris vtuntur sumtis ab imperijs mundi.

Execrandus error est fingere Ecclesiam ante nouissimum diem politiam quandam mundanam futuram esse.

Resuscitatio mortuorum est opus solius diuinitatis proprium.

Vita æterna erit perpetua adoratio, id est, Dei cognitio & iusticia sine peccato & sine morte.

Etiam amissis omnibus bonis corporalibus, & cum vita corporis certò amittenda est: tamen retinenda est promissio gratiæ & vitæ æternæ.

Certissimum est non procul esse finem mundi, & vitam æternam, quia Deus etiam abrumpet tempus circa finem.

Θεῷ μόνῳ σοφῷ καὶ φιλανθρώπῳ δόξα.

OPOI

ΟΡΟΙ ΤΩΝ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ ΥΓΙΟΥΣ ΔΙΔΑΧΗΣ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΙΑΝΙΣΜΟΥ.

ΚΑΤΗΧΗΣΙΣ τοῦ χριστιανισμοῦ, ἐστὶ διδασκαλία τοῦ θείου λόγου κηρύκων, ἐπιτηδευθεῖσα πρὸς τὴν τῶν νέων καὶ ἀνηκόων ἔτι ἔννοιαν, διδασκομένων τὴν τοῦ χριστιανισμοῦ εὐσέβειαν. ἐν τῇ πρὸς ῥωμ. κεφ. β. α. κορινθ. ιδ. πρὸς Γαλάτας ς'.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΙΣΜΟΣ, ἐξομολόγησίς ἐστι πίστεως, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐλεηθέντες ὑπὸ θεοῦ ἀποκαταλλάσσονται αὐτῷ, πάντες οἱ τὰ τοῦ χριστοῦ φρονοῦντες.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΙ καλοῦνται, μαθηταὶ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας, καὶ εὐσεβείας, καὶ κλητοὶ κοινῶς ἐκκλησία τοῦ χριστοῦ.

ΕΥΣΕΒΕΙΑ, ἐστὶν ἐπιστήμη τιμῆς ἀληθοῦς τῆς πρὸς τὸν θεὸν, καὶ σπουδὴ τοῦ νέμειν αὐτῷ κατὰ πάντα. ἢ θεοῦ ἐπίγνωσις.

ΘΕΟΣ, οὐσία ἐστὶν ἀΐδιος, καὶ ἀθάνατος, καὶ παντοδύναμος, καὶ πανάγαθος, φύσις ἀπερίγραπτος, αἰτία πάντων ὅσα ἔκτισται, καὶ τοῦ εἶναι πᾶσιν ἀρχή. ποιητὴς καὶ σωτὴρ ἁπάντων, πατὴρ ἄναρχος καὶ ἀγέννητος, υἱὸς μονογενὴς συναΐδιος, ἅγιον πνεῦμα ἀμφοῖν, ἐκπορευόμενον δι' υἱοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς.

Τὸ γὰρ

DEFINITIONES CAPITUM SANÆ DOCTRINAE CHRISTIANAE.

CATECHESIS CHRISTIANISMI, *est doctrina Præconum diuini sermonis, accommodata ad iuniorum & adhuc rudium intelligentiam, pietatem Christianismi discentium. Rom. 2. 1. Corinth. 14. Gal. 6.*

CHRISTIANISMVS, *est Confessio Fidei, quod misericordiam consecuti à DEO in nomine Iesu Christi reconcilientur ipsi omnes, qui Christi partium sunt.*

CHRISTIANI *vocantur discipuli sanæ doctrinæ & religionis, suntq; vocati communiter Ecclesia Christi.*

VERA RELIGIO, *est scientia veri cultus diuini, & diligentia præstandi illum cultum per omnia. Vel, est Dei agnitio.*

DEVS, *est essentia æterna & immortalis, ac omnipotens, omnimodè bona, natura incircumscripta, caussa omnium, quæ sunt creata, & principiũ essentiæ omnibus. Creator & sospitator omnium, Pater absq; principio & ingenitus, Filius Unigenitus, coæternus, Spiritus sanctus vtrorumq; procedens per Filium ex ipso Patre.*

Nam

Τὸ γὰρ οὐσιῶδες τῆς φύσεως τοῦ θεοῦ ἀμερές τε καὶ ἀδιαίρετον πάντως, τό δὲ ὑποστατικὸν τῆς ἰδιότητος, τοῖς γνωρίσμασι τῶν προσώπων διαστολὴν λαμβάνει.

Ο ΘΕΟΣ πατὴρ, πρωταίτιος ἀπάντων, ἄναρχός τε καὶ ἀγέννητός ἐστι. ποιητὴς οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ πάντων κτίστης, ὅσα γ' ἐκτίσθη.

Ο ΥΙΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, εἰκών ἐστι θεοῦ ἀοράτου, λόγος ἐνυπόστατος, καὶ μέσον τῆς θείας τριάδος πρόσωπον, τῇ οὐσίᾳ θεὸς ἀληθινὸς, καὶ τῇ ὑποστάσει μονογενὴς υἱὸς θεοῦ πατρὸς, συναΐδιος, καὶ ὁμοούσιος τῷ ἀϊδίῳ πατρί. ὁ μεσιτεύων ἀεὶ μεταξὺ θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, ἐνανθρωπήσας, ἀναμάρτητον σάρκωσιν, καὶ νοῦν, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἐσχηκὼς, κατ' ἀλήθειαν ἐκ τῆς θεοτόκου παρθένου Μαρίας. ὁ σωτὴρ καὶ λυτρωτὴς ἡμῶν κύριος ἰησοῦς χριστὸς καὶ βασιλεὺς ἁπάντων, ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἀφράστῳ καὶ ἀκαταναοήτῳ ἑνώσεως τρόπῳ, τῆς θείας φύσεως τὴν ἀνθρωπεία[ν] προσλαβούσης καὶ συζευξάσης αὐτῇ.

ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΝΕΥΜΑ, ἐστὶ τὸ τρίτο[ν] τῆς συναϊδίου καὶ ὁμοουσίου καὶ ὁμοδόξου, θεί[ας] τριάδος πρόσωπον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ πα[τ]ρὸς, κατὰ τὰς γραφάς. καὶ οὐδὲν γ' ἧττον κα[ὶ] τοῦ υἱοῦ πνεῦμα ὄν. οὐ γεννητὸν οὐδὲ ποιητὸν, ἢ κτ[ι]

Nam substantialis natura DEI partes non habet, neq; diuidi potest, sed proprietas hypostatica distinctionem capit Personarũ notionibus.

DEVS PATER, *Primum principium vniuersorum, ipse principio carens & ingenitus est, factor cœli & terræ, & Creator vniuersorum, quæcunq; sanè creata sunt.*

FILIVS DEI, *imago est Dei inuisibilis, sermo hypostaticus, & media persona diuinæ Trinitatis, estq; substantia verus Deus, & hypostasi seu persona vnigenitus Filius Dei Patris, coæternus & consubstantialis æterno Patri. Qui se medium semper interponit inter Deum & homines, Homo factus, assumta carne absq; peccato, mentem, animam & corpus habens verè ex Deipara Virgine Maria, Saluator & Redemtor noster Dominus JESVS CHRISTVS, & Rex vniuersorum, verus Deus & Homo, ineffabili & incomprehensibili vnitionis modo, natura humana assumta à diuina, & simul copulata.*

SPIRITVS SANCTVS, *est tertia, coæterna, consubstantialis & conglorificanda, diuinæ Trinitatis Persona, procedens ex Patre secundum scripturas, cum nihilo secus etiam Filij ille Spiritus sit. Non genitus, neq; factus, aut*

creatus

ςὸν, ἀλλὰ ἐκπορδυόμενον ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀφ' οὗ πᾶς ἁγιασμὸς παραγίνεται τῇ ἐκκλησίᾳ χριστοῦ.

ΟΥΣΙΑ, τὸ ὂν καθ' ἑαυτό. ἢ, τῶν ὄντων ἑκάστου ἐνοειδὴς κατάστασις. ἢ, ὕπαρξις τοῦ ἁπλῶς καθ' ἑαυτὸ, καὶ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ ἑτέρῳ ὄντος. ἢ, πρᾶγμα αὐθύπαρκτον μηδενὸς ἑτέρου δεόμενον πρὸς σύστασιν. ἢ, τὸ κοινὸν καὶ ἀμέριστον, καὶ ἀδιάστατον τῆς φύσεως, ἤγουν τῆς θεότητος.

ΦΥΣΙΣ, οὐσία κοινὴ ἰδιωματικῶν ὑποστάσεων, ὧν αὐτὴ περιέχει.

ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ, τὸ καθ' ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως ὑφιστάμενον. ἢ, τὸ ἴδιον παρὰ τὸ κοινόν. ἢ, ἰδιότης ὑπὸ τὴν φύσιν ὑφισαμένη.

ΥΠΟΣΤΑΤΙΚΗ ΕΝΩΣΙΣ, ἡ τὰς διαφόρους οὐσίας ἢ φύσεις εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν συνάγουσα, καὶ συνδέουσα.

ΥΠΟΣΤΑΤΙΚΗ ΔΙΑΦΟΡΑ, λόγος καθ' ὃν ἡ κατ' ἄθροισμα τῶν θεωρουμένων ἰδιωμάτων κοινῶν τῆς οὐσίας ἑτερότης τέμνουσα κατ' ἀριθμὸν ἄλλο ἀπ' ἄλλου τὸ τῶν ἀτόμων ποιεῖται πλῆθος·

Αἴδιον

creatus, sed procedens ex DEO, à quo omnis sanctificatio peruenit ad Ecclesiam CHRISTI.

ESSENTIA, *quod est re ipsa per se. Aut, est dispositio vniformis cuiuslibet eorum quæ sunt. Aut, est substantia eius, quod est simpliciter per sese, & non in alio subiecto. Aut, res per se subsistens, nullius alterius indigens ad constitutionem. Aut communicatum id, quod neq; partes, neq; distantiam habet in natura, id est, Deitate.*

NATVRA, *est substantia communis proprietatum in Personis, quas ipsa continet.*

PERSONA, *est per se subsistens, ita vt propriam habeat constitutionem. Aut, est proprium præter commune. Aut, proprietas in vna natura substantia consistens.*

PERSONALIS VNIO, *est quæ diuersas Essentias aut naturas, in vnam Personam, & eandem hypostasin copulat & coniungit.*

PERSONALIS DIFFERENTIA *est oratio, qua secundum collectionem conspicuarum proprietatum essentiæ, diuersitas discernens in numero aliud ab alio facit pluralitatem indiuiduorum.*

ΑΙΔΙΟΝ, τὸ κατὰ πάντα χρόνον, καὶ πρότερον ὂν, καὶ διαφθειρόμενον μηδέποτε.

ΑΘΑΝΑΤΟΝ, τὸ ζωὴν ἔχον διαμένουσαν ἀεὶ καὶ ἀπολλύμενον οὐδέποτε.

ΠΑΝΤΟΔΥΝΑΜΟΝ, τὸ ὑπὸ μηδεμιᾶς ἰσχύος ἑτέρας κρατούμενον, καὶ πάντα ἔχον αὐτὸ ὑπερούσια.

ΑΓΑΘΟΝ, τὸ αἴτιον σωτηρίας τοῖς οὖσι, καὶ οὗ πάντα ἐφίεται, αὐτοῦ ἕνεκα.

ΑΙΤΙΟΝ, ἐξ οὗ, καὶ δι' οὗ τὸ εἶναι ἑτέροις.

ΑΡΧΗ, οὗ πρότερον οὐδὲν, ὕστερα δὲ μετ' ἐκεῖνο τὰ ἄλλα.

ΑΝΑΡΧΟΝ, τὸ κύριον ἀρχῆς ἁπάντων, πρώτη, καὶ ἁπλῆ ἀρχὴ ὄν.

ΑΠΕΡΙΓΡΑΠΤΟΝ, τὸ μήτε τόπῳ, μήτε λόγῳ ἢ διανοίᾳ περιοριστὸν, καὶ καταληπτόν.

ΓΕΝΕΣΙΣ, ὕπαρξις τοῦ εἶναι: ἢ πόρευσις εἰς τὸ εἶναι.

ΑΓΕΝΝΗΤΟΝ, τὸ αἰτιπαίτιον, καὶ πρώταρχον πάσης ὑποστάσεως.

ΠΟΙΗΤΗΣ, αἴτιος τοῖς μὴ οὖσι πρότερον τοῦ γενέσθαι ὕστερον: ἢ ἀρχηγὸς τῆς κινήσεως.

AETERNVM, est quod secundum omnem temporis rationem prius est, & nunquam labefactatur.

IMMORTALE, est quod habet vitam permanentem perpetuò, & nunquã extinguitur.

OMNIPOTENS, quod sub nulla alia potestate tenetur, & ipsum habet vniuersa subdita.

BONVM, est caussa conseruationis eorum quæ sunt, & quod omnia appetunt propter seipsum.

CAVSSA, ex quo, & per quod esse est alijs.

PRINCIPIVM, ante quod prius est nihil, alia verò sunt sequentia post illud.

ABSQVE PRINCIPIO, est possessiuum principij vniuersorum, primum & simplex principium existens.

INCIRCVMSCRIPTVM, quod neq; loco, neq; sermone, aut intellectu definiri & comprehendi possit.

GENERATIO, est essendi subsistentia, Aut, productio ad esse.

INGENITVM, cuius caussa nulla subest, & primordium omnis hypostaseos.

CREATOR, est author eorum quæ prius non erant, vt fierent postea, Aut, Princeps omnis motus.

 Sal-

ΣΩΤΗΡ, ὁ τῆς ἀβλαβοῦς περιποιήσεως, καὶ τοῦ ἀεὶ διαμένειν αἴτιος.

ΣΩΤΗΡΙΑ, ἡ τοῦ εἶναι ἀεὶ ἀδιάλειπτος διαμονή. ἤ, περιποίησις ἀβλαβής.

ΑΓΙΟΝ, τὸ ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ, καὶ σπιλίδος ἐκκεκαθαρμένον.

ΑΓΓΕΛΟΣ, πνεῦμα λειτουργικόν. ἢ ἄγγελος οὐσία νοερά, ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, ἀσώματος, θεῷ λειτουργοῦσα, κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφυῖα. ἀόριστος μὲν πᾶς, οὐκ ἀπερίγραπτος δέ. καὶ δυσκίνητος, ἀλλ᾽ οὐκ ἀκίνητος, ἄφθαρτος, ἀμεταμέλητος, μεταδιδοῦσα τὰ ἴδια νοήματα, καὶ βουλεύματα ἄνευ προφορικοῦ λόγου. διαφορὰ ἡ τῶν ἁγίων ἀγγέλων, καὶ τῶν πονηρῶν ἤγουν τῶν διαβόλων, ἐν τούτῳ μόνῳ. ὅτι οἱ ἅγιοι ἄγγελοι φυλάξαντες τὸ τῆς ἀληθείας, καὶ χάριτος δῶρον ἀκίνητοι νῦν εἰσὶ τῇ θεοῦ χάριτι πρὸς τὸ κακόν, ὥσπερ τὸ τῶν διαβόλων φῦλον, ἐκπεπτωκὸς τῆς χάριτος καὶ ἀληθείας ἀκίνητόν ἐστι τὸ λοιπὸν πρὸς τἀγαθόν.

ΨΥΧΗ, οὐσία ἀσώματος, σώματι ὡς ὀργάνῳ χρωμένη, ἰδιοτρόπως καθ᾽ ἕκαστον γένος τῶν ζώων. ἤ, αἰτία κινήσεως ζωτικῆς.

Ἀνθρώ-

SALVATOR, *eſt incolumitatis, & permanendi alicuius in æternum, author.*

SALVATIO, *eſt conſeruatio perpetua in æternum permanendi. Aut incolumitatis ſtatus ipſe.*

SANCTVM, *quod eſt ab omni inquinamento & deformitate perpurgatum.*

ANGELVS, *eſt Spiritus publici muneris miniſtratorius. Al: Angelus eſt eſſentia intelligens, nunquam ocioſa, ſui arbitrij, incorporea, Deo ſeruiens in publico munere, quæ ex gratia in ſua natura immortalitatem accepit. Indefinita quodammodo, ſed non incircumſcripta tamen. Non facilè mutabilis, ſed tamen non immutabilis, incorruptibilis, pœnitere neſcia, circumferens ſenſa animi ſui, & conſilia ſine ſermone vocali. Differentia verò ſanctorum Angelorum & malorum, ſeu diabolorum, in hac re vna conſiſtit, quod Angeli ſancti cuſtodientes donum veritatis & gratiæ, immoti nunc ſint gratia Dei, ne ad malum inclinent, ſicut diabolorum genus, quod excidit ex gratia & veritate, nec in poſterum mouetur ad bonum.*

ANIMA, *eſt eſſentia incorporea, corpori cõmunicãs tanquam organo, peculiari modo iuxta quodlibet genus animaliũ. Al. Eſt cauſſa motus viuifici.*

 Ho-

ΟΡΟΙ ΤΩΝ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ ΥΓΙΟΥΣ ΔΙΔΑΧΗΣ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΙΑΝΙΣΜΟΥ.

ΚΑΤΗΧΗΣΙΣ τοῦ χριστιανισμοῦ, ἐστὶ διδασκαλία τῶν τοῦ θείου λόγου κηρύκων, ἐπιτηδευθεῖσα πρὸς τὴν τῶν νεῶν καὶ ἀνηκόων ἔτι ἔννοιαν, διδασκομένων τὴν τοῦ χριστιανισμοῦ εὐσέβειαν. ἐν τῇ πρὸς ῥωμ. κεφ. ϛ. α. κορινθ. ιδ. πρὸς Γαλάτας ϛ'.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΙΣΜΟΣ, ἐξομολόγησίς ἐστι πίστεως, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐλεηθέντες ὑπὸ θεοῦ ἀποκαταλλάσσονται αὐτῷ, πάντες οἱ τὰ τοῦ χριστοῦ φρονοῦντες.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΙ καλοῦνται, μαθηταὶ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας, καὶ εὐσεβείας, καὶ κλητοὶ κοινῶς ἐκκλησία τοῦ χριστοῦ.

ΕΥΣΕΒΕΙΑ, ἐστὶν ἐπιστήμη τιμῆς ἀληθοῦς τῆς πρὸς τὸν θεόν, καὶ σπουδὴ τοῦ νεῖμαι αὐτὴν κατὰ πάντα. ἡ θεοῦ ἐπίγνωσις.

ΘΕΟΣ, οὐσία ἐστὶν ἀΐδιος καὶ ἀθάνατος, καὶ παντοδύναμος, καὶ πανάγαθος, φύσις ἀπερίγραπτος, αἰτία πάντων ὅσα ἔκτισται, καὶ τοῦ εἶναι πᾶσιν ἀρχή. ποιητὴς καὶ σωτὴρ ἁπάντων, πατὴρ ἄναρχος καὶ ἀγέννητος, υἱὸς μονογενὴς συναΐδιος, ἅγιον πνεῦμα ἀμφοῖν, ἐκπορευόμενον δι' υἱοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς.

Τὸ γὰρ

DEFINITIONES CAPITVM SANÆ DOCTRINAE CHRISTIANAE.

CATECHESIS CHRISTIANISMI, *est doctrina Præconum diuini sermonis, accommodata ad iuniorum & adhuc rudium intelligentiam, pietatem Christianismi discentium. Rom. 2. 1. Corinth. 14. Gal. 6.*

CHRISTIANISMVS, *est Confessio Fidei, quòd misericordiam consecuti à* DEO *in nomine Iesu Christi reconcilientur ipsi omnes, qui Christi partium sunt.*

CHRISTIANI *vocantur discipuli sanæ doctrinæ & religionis, suntq́; vocati communiter Ecclesia Christi.*

VERA RELIGIO, *est scientia veri cultus diuini, & diligentia præstandi illum cultum per omnia. Vel, est Dei agnitio.*

DEVS, *est essentia æterna & immortalis, ac omnipotens, omnimodè bona, naturâ incircumscripta, caussa omnium, quæ sunt creata, & principiū essentiæ omnibus. Creator & sospitator omnium, Pater absq́; principio & ingenitus, Filius Unigenitus, coæternus, Spiritus sanctus utrorumq́;, procedens per Filium ex ipso Patre.*

Nam

Τὸ γὰρ ὁσιῶδες τῆς φύσεως τοῦ θεοῦ ἀμερές τε καὶ ἀδιαίρετον πάντως, τό δὲ ὑποστατικὸν τῆς ἰδιότητος, τοῖς γνωρίσμασι τῶν προσώπων διασολὴν λαμβάνει.

Ο ΘΕΟΣ πατὴρ, πρωταίτιος ἁπάντων, ἄναρχός τε καὶ ἀγέννητός ἐστι. ποιητὴς οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ πάντων κτίσεως, ὅσα γ' ἐκτίσθη.

Ο ΥΙΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, εἰκών ἐστι θεοῦ ἀοράτου, λόγος ἐνυπόστατος, καὶ μέσον τῆς θείας τριάδος πρόσωπον, τῇ οὐσίᾳ θεὸς ἀληθινὸς, καὶ τῇ ὑποστάσει μονογενὴς υἱὸς θεοῦ πατρὸς, συναΐδιος, καὶ ὁμοούσιος τῷ ἀϊδίῳ πατρί. ὁ μεσιτεύων ἀεὶ μεταξὺ θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, ὁ ἐνανθρωπήσας, ἀναμάρτητον σάρκωσιν, καὶ νοῦν, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἐσχηκὼς, κατ' ἀλήθειαν ἐκ τῆς θεοτόκου παρθένου Μαρίας. ὁ σωτὴρ καὶ λυτρωτὴς ἡμῶν κύριος ἰησοῦς χριστὸς, καὶ βασιλεὺς ἁπάντων, ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἀφράστῳ καὶ ἀκαταανοήτῳ ἑνώσεως τρόπῳ, τῆς θείας φύσεως τὴν ἀνθρωπείαν προσλαβούσης καὶ συζευξάσης αὐτῇ.

ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΝΕΥΜΑ, ἐστὶ τὸ τρίτον τῆς συναϊδίου καὶ ὁμοουσίου καὶ ὁμοδόξου, θείας τριάδος πρόσωπον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ πατρὸς, κατὰ τὰς γραφάς. καὶ οὐδέν γ' ἧττον καὶ τοῦ υἱοῦ πνεῦμα ὄν, οὐ γεννητὸν οὐδὲ ποιητὸν, ἢ κτι-

σὸν,

Nam substantialis natura DEI partes non habet, neq; diuidi potest, sed proprietas hypostatica distinctionem capit Personarũ notionibus.

DEVS PATER, *Primum principium vniuersorum, ipse principio carens & ingenitus est, factor cœli & terræ, & Creator vniuersorum, quæcunq; sane creata sunt.*

FILIVS DEI, *imago est Dei inuisibilis, sermo hypostaticus, & media persona diuinæ Trinitatis, estq; substantia verus Deus, & hypostasi seu persona vnigenitus Filius Dei Patris, coæternus & consubstantialis æterno Patri. Qui se medium semper interponit inter Deum & homines, Homo factus, assumta carne absq; peccato, mentem, animam & corpus habens verè ex Deipara Virgine Maria, Saluator & Redemtor noster Dominus IESVS CHRISTVS, & Rex vniuersorum, verus Deus & Homo, ineffabili & incomprehensibili vnitionis modo, natura humana assumta à diuina, & simul copulata.*

SPIRITVS SANCTVS, *est tertia, coæterna, consubstantialis & conglorificanda, diuinæ Trinitatis Persona, procedens ex Patre secundum scripturas, cum nihilo secus etiam Filij ille Spiritus sit. Non genitus, neq; factus, aut*

στὸν, ἀλλὰ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀφ' οὗ πᾶς ἁγιασμὸς παραγίνεται τῇ ἐκκλησίᾳ χριστοῦ.

ΟΥΣΙΑ, τὸ ὂν καθ' ἑαυτό. ἤ, τῶν ὄντων ἑκάστου ἐνοειδὴς κατάστασις. ἤ, ὕπαρξις τοῦ ἁπλῶς καθ' ἑαυτὸ, καὶ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ ἑτέρῳ ὄντος. ἤ, πρᾶγμα αὐθύπαρκτον μηδενὸς ἑτέρου δεόμενον πρὸς σύστασιν. ἤ, τὸ κοινὸν καὶ ἀμέριστον, καὶ ἀδιάστατον τῆς φύσεως, ἤγουν τῆς θεότητος.

ΦΥΣΙΣ, οὐσία κοινὴ ἰδιωματικῶν ὑποστάσεων, ὧν αὐτὴ περιέχει.

ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ, τὸ καθ' ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως ὑφιστάμενον. ἤ, τὸ ἴδιον παρὰ τὸ κοινόν. ἤ, ἰδιότης ὑπὸ τὴν φύσιν ὑφισταμένη.

ΥΠΟΣΤΑΤΙΚΗ ΕΝΩΣΙΣ, ἡ τὰς διαφόρους οὐσίας ἢ φύσεις εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν συνάγουσα, καὶ συνδέουσα.

ΥΠΟΣΤΑΤΙΚΗ ΔΙΑΦΟΡΑ, λόγος καθ' ὃν ἡ κατ' ἄθροισμα τῶν θεωρουμένων ἰδιωμάτων κοινῶν τῆς οὐσίας ἑτερότης τέμνουσα κατ' ἀριθμὸν ἄλλο ἀπ' ἄλλου τὸ τῶν ἀτόμων ποιεῖται πλῆθος·

creatus, sed procedens ex DEO, à quo omnis sanctificatio peruenit ad Ecclesiam CHRISTI.

ESSENTIA, *quod est re ipsa per se. Aut, est dispositio vniformis cuiuslibet eorum quæ sunt. Aut, est substantia eius, quod est simpliciter per sese, & non in alio subiecto. Aut, res per se subsistens, nullius alterius indigens ad constitutionem. Aut communicatum id, quod neq; partes, neq; distantiam habet in natura, id est, Deitate.*

NATVRA, *est substantia communis proprietatum in Personis, quas ipsa continet.*

PERSONA, *est per se subsistens, ita vt propriam habeat constitutionem. Aut, est proprium præter commune. Aut, proprietas in vna natura substantia consistens.*

PERSONALIS VNIO, *est quæ diuersas Essentias aut naturas, in vnam Personam, & eandem hypostasin copulat & coniungit.*

PERSONALIS DIFFERENTIA *est oratio, qua secundum collectionem conspicuarum proprietatum essentiæ, diuersitas discernens in numero aliud ab alio facit pluralitatem indiuiduorum.*

ΑΙΔΙΟΝ, τὸ κατὰ πάντα χρόνον, καὶ πρότερον ὄν, καὶ διαφθειρόμενον μηδέποτε.

ΑΘΑΝΑΤΟΝ, τὸ ζωὴν ἔχον διαμένουσαν ἀεὶ καὶ ἀπολλύμενον οὐδέποτε.

ΠΑΝΤΟΔΥΝΑΜΟΝ, τὸ ὑπὸ μηδεμιᾶς ἰσχύος ἑτέρας κρατούμενον, καὶ πάντα ἔχον αὐτὸ ὑπερέχουσα.

ΑΓΑΘΟΝ, τὸ αἴτιον σωτηρίας τοῖς οὖσι, καὶ οὗ πάντα ἐφίεται, αὐτοῦ ἕνεκα.

ΑΙΤΙΟΝ, ἐξ οὗ, καὶ δι' οὗ τὸ εἶναι ἑτέροις.
ΑΡΧΗ, οὗ πρότερον οὐδὲν, ὕστερα δὲ μετ' ἐκεῖνο τὰ ἄλλα.

ΑΝΑΡΧΟΝ, τὸ κύριον ἀρχῆς ἁπάντων, πρώτη, καὶ ἁπλῆ ἀρχὴ ὄν.

ΑΠΕΡΙΓΡΑΠΤΟΝ, τὸ μήτε τόπῳ, μήτε λόγῳ ἢ διανοίᾳ περιοριστὸν, καὶ καταληπτόν.

ΓΕΝΕΣΙΣ, ὕπαρξις τοῦ εἶναι: ἢ πόρευσις εἰς τὸ εἶναι.

ΑΓΕΝΝΗΤΟΝ, τὸ ἀνυπαίτιον, καὶ πρώταρχον πάσης ὑποστάσεως.

ΠΟΙΗΤΗΣ, αἴτιος τοῖς μὴ οὖσι πρότερον τοῦ γενέσθαι ὕστερον: ἢ ἀρχηγὸς τῆς κινήσεως.

Σωτὴρ

AETERNVM, *est quod secundum omnem temporis rationem prius est, & nunquam labefactatur.*

IMMORTALE, *est quod habet vitam permanentem perpetuò, & nunquã extinguitur.*

OMNIPOTENS, *quod sub nulla alia potestate tenetur, & ipsum habet vniuersa subdita.*

BONVM, *est caussa conseruationis eorum quæ sunt, & quod omnia appetunt propter seipsum.*

CAVSSA, *ex quo, & per quod esse est alijs.*

PRINCIPIVM, *ante quod prius est nihil, alia verò sunt sequentia post illud.*

ABSQVE PRINCIPIO, *est possessiuum principij vniuersorum, primum & simplex principium existens.*

INCIRCVMSCRIPTVM, *quod neq; loco, neq; sermone, aut intellectu definiri & comprehendi possit.*

GENERATIO, *est essendi subsistentia, Aut, productio ad esse.*

INGENITVM, *cuius caussa nulla subest, & primordium omnis hypostaseos.*

CREATOR, *est author eorum quæ prius non erant, vt fierent postea, Aut, Princeps omnis motus.*

ΣΩΤΗΡ, ὁ τῆς ἀβλαβοῦς περιποιήσεως, καὶ τοῦ ἀεὶ διαμένειν αἴτιος.

ΣΩΤΗΡΙΑ, ἡ τοῦ εἶναι ἀεὶ ἀδιάλειπτος διαμονή. ἤ, περιποίησις ἀβλαβής.

ΑΓΙΟΝ, τὸ ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ, καὶ σπιλίδος ἐκκεκαθαρμένον.

ΑΓΓΕΛΟΣ, πνεῦμα λειτουργικόν. ἢ ἄγγελος οὐσία νοερὰ, ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, ἀσώματος, θεῷ λειτουργοῦσα, κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφυῖα. ἀόριστος μὲν πᾶς, οὐκ ἀπερίγραπτος δέ. καὶ δυσκίνητος, ἀλλ᾽ οὐκ ἀκίνητος, ἄφθαρτος, ἀμεταμέλητος, μεταδιδοῦσα τὰ ἴδια νοήματα, καὶ βουλεύματα ἄνευ προφορικοῦ λόγου. διαφορὰ δὲ τῶν ἁγίων ἀγγέλων, καὶ τῶν πονηρῶν ἤγουν τῶν διαβόλων, ἐν τούτῳ μόνῳ. ὅτι οἱ ἅγιοι ἄγγελοι φυλάξαντες τὸ τῆς ἀληθείας, καὶ χάριτος δῶρον ἀκίνητοι νῦν εἰσι τῇ θεοῦ χάριτι πρὸς τὸ κακὸν, ὥσπερ τὸ τῶν διαβόλων φῦλον, ἐκπεπτωκὸς τῆς χάριτος καὶ ἀληθείας ἀκίνητόν ἐστι τὸ λοιπὸν πρὸς τἀγαθόν.

ΨΥΧΗ, οὐσία ἀσώματος, σώματι ὡς ὀργάνῳ χρωμένη, ἰδιοτρόπως καθ᾽ ἕκαστον γένος τῶν ζώων. ἤ, αἰτία κινήσεως ζωτικῆς.

Ἀνθρώ-

SALVATOR, *est incolumitatis, & permanendi alicuius in æternum, author.*

SALVATIO, *est conseruatio perpetua in æternum permanendi. Aut incolumitatis statuis ipse.*

SANCTVM, *quod est ab omni inquinamento & deformitate perpurgatum.*

ANGELVS, *est Spiritus publici muneris ministratorius. Al: Angelus est essentia intelligens, nunquam ociosa, sui arbitrij, incorporea, Deo seruiens in publico munere, quæ ex gratia in sua natura immortalitatem accepit. Indefinita quodammodo, sed non incircumscripta tamen. Non facilè mutabilis, sed tamen non immutabilis, incorruptibilis, pœnitere nescia, circumferens sensa animi sui, & consilia sine sermone vocali. Differentia verò sanctorum Angelorum & malorum, seu diabolorum, in hac re vna consistit, quod Angeli sancti custodientes donum veritatis & gratiæ, immoti nunc sint gratia Dei, ne ad malum inclinent, sicut diabolorum genus, quod excidit ex gratia & veritate, nec in posterum mouetur ad bonum.*

ANIMA, *est essentia incorporea, corpori cõmunicãs tanquam organo, peculiari modo iuxta quodlibet genus animaliũ. Al. Est caussa motus viuifici.*

HOMINIS ANIMA, *iuxta Ecclesiæ sacræ traditionem, est essentia viua, simplex & incorporea, corporeis oculis, quo ad suam naturam inuisibilis, immortalis, rationalis & intelligens, formam non recipiens, instrumentali corpore perfruens, cui suppeditat vitam, augmentationem, sensum & generationem, non habens præter seipsam mentem aliam, sed est pars sui ipsius purissima.*

CORPVS, *est moles trium dimensionum, longitudinem habens, latitudinem & profunditatem, seu altitudinem & densitatem.*

CORPVS ANIMALIVM, *est Compages multarum partium, composita ex ijs, quæ membra appellantur, Instrumentum animalis potentiæ & efficacitatis, atq; motus viuifici.*

HOMO, *est animal mortale, solum scientiæ disciplinarum liberalium & mentis capax, iuxta imaginem* DEI *ad sanctitatem & pietatem, ac vniuersæ virtutis pulcritudinem creatum.*

VITA, *est asseruatio & duratio ad esse.*

ANIMI PROPOSITVM, *est motus animalis, qui deliberando, ea quæ sunt penes nos, præferens iudicio suo vnum alteri, sumit & eligit.*

ΕΚΟΥΣΙΟΝ, κίνημα ᾧ ἐπ' ἀμφῶ, τὰ καλὰ καὶ τὰ κακὰ νομιζόμενα αὐτοθελῶς ἐλαυνόμεθα. τὸ δὲ αὐτεξούσιον διά τε τὴν ἐνοικοῦσαν ἁμαρτίαν. καὶ διὰ τὰς ἐνέδρας καὶ τὴν βίαν τοῦ διαβόλου, πάνυ τε εἰς στενὸν συνελάθη, καὶ λείπεται τούτου ἕνεκα καυχήσεως τόπος οὐδεμιᾷ.

ΑΜΑΡΤΙΑ, ἐστὶ στέρησις τῆς ὀρθότητος, ἤγουν τοῦ εὖ ἔχοντος ἢ δέοντος ἀποτυχία, καὶ αὕτη εἴη ἂν ἐκτροπὴ τοῦ καλοῦ. ἢ, ἀνομία, ἢ παράβασις τῶν νομίμων.

ΝΟΜΟΣ, ἐστὶ διάταξις τῶν πρακτέων, καὶ φυλακτέων, φανερωθεῖσα διὰ τῶν ἐντολῶν τοῦ θείου θελήματος. ἢ, λόγος ὀρθὸς προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον. νόμος ἐνίοτε μὲν παρ' ἀποστόλῳ διδασκαλίαν, ἢ καὶ παράγγελμα σημαίνει. ἐνιαχῇ δὲ τὴν ἐντολὴν, ἄλλοθι ἐφόρμησιν, μᾶλλον δὲ ὑπεξουσιασμόν τινα.

ΔΕΚΑΛΟΓΟΣ, ὑπογραφὴ κεφαλαιώδης, ἔργων τε καλῶν καὶ ἀρεσκόντων τῷ θεῷ, καὶ τῶν ἐναντίων, αἰσχρῶν τε καὶ μισητῶν αὐτῷ.

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ κήρυγμά ἐστι μετανοίας ἐπαγγελίαν ἔχον ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ δικαιοσύνης καὶ κοινωνίας πνεύματος ἁγίου

πρὸς

LIBERVM ARBITRIVM, *est motus quo in vtramq; partem ad bona & mala propria voluntate impellimur. Illa verò potestas propria, cùm propter peccatum in nobis habitans, tùm ob insidias & vim diaboli perquam in angustum coacta est, & de hoc ostentationi nullus locus relinquitur.*

PECCATVM, *est priuatio recti seu integritatis, id est, frustratio eius, quod benè & debito modo se habet, & hæc scilicet fuerit boni seu honestatis euersio. Aut est iniquitas. Al: Est transgressio eorum, quæ Legibus constituta sunt.*

LEX, *est edictio de faciendis & fugiendis, patefacta per præceptiones voluntatis diuinæ. Al: Est oratio rectà, imperans, quæ facienda sunt, & prohibens quæ non sint facienda.* LEX *quidem interdum apud Apostolum doctrinam, aut etiam præceptionem significat, Alibi incitationem, ac potius dominationem quandam.*

DECALOGVS, *est descriptio comprehendens Capita, eorum quæ honesta sunt, & Deo grata, itemq; contrariorum turpium, & quæ Deus odit.*

EVANGELIVM, *præconium est Pœnitentiæ, habens promissionem remissionis peccatorum, & iustitiæ, & communicationis sancti*

πρὸς ζωὴν αἰώνιον, πάντων τούτων δωρεὰν διὰ χριστοῦ διδομένων πᾶσι τοῖς πιστεύουσι. ἄλλως. ἐστι λόγος χάριτος, καὶ ἐλέους θεοῦ, καὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, καὶ δικαιοσύνης, ἧς τυγχάνουσι δωρεὰν ἅπαντες οἱ μετανοοῦντες, καὶ πιστεύοντες, εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐνανθρωπήσαντα, καὶ ὑπακούσαντα τῷ πατρὶ, σωτῆρα καὶ λυτρωτὴν, καὶ κύριον ἰησοῦν χριστὸν.

ΠΙΣΤΙΣ, ἐστὶ βεβαία συγκατάθεσις τῶν ἀκουόντων λόγον θεοῦ, καὶ πεποίθησις ἐπὶ χάριτος καὶ ἐλέους αὐτοῦ διὰ τοῦ σωτῆρος, καὶ λυτρωτοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, ἐνεργὸς οὖσα ἐν τοῖς ἁγίοις καὶ εὐδόκιμος ἐν πάσῃ πράξει καλῇ καὶ ἐναρέτῳ.

ΠΙΣΤΙΣ ΙΣΤΟΡΙΚΗ ἢ δογματική, ἐστὶ συγκατάθεσις ἀπρόκριτος, γνώμης εὐσεβοῦς καὶ πειθομένης τῷ θεοῦ ῥήματι.

ΠΙΣΤΙΣ ΕΜΠΥΡΟΣ ΚΑΙ θαυματουργός, ἐστὶ εἰδικὸν χάρισμα τῆς πίστεως.

ΠΙΣΤΙΣ ΔΙΚΑΙΟΥΣΑ, τὸ τῆς πεποιθήσεως ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν, καθ᾽ ὃ ἡ δικαιοσύνη συνοικεῖται τῇ πίστει.

ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ, γνώμη ἐστὶ τοῦ θεοῦ ἀποφαίνουσα δικαίους ἡμᾶς, ἤγουν προσδεκ-

Spiritus ad vitam æternam, his omnibus gratuito munere contingentibus propter Christum omnibus credentibus. Al: Est vox gratiæ & misericordiæ DEI, ac remissionis peccatorum, atq; iustitiæ, quam consequuntur omnes resipiscentes & credentes in Filium Dei, factũ hominem, & obœdientem Patri, Saluatorem & Redemtorem, Dominumq; nostrum Iesum Christum.

FIDES, *est firma assensio audientium verbum DEI, & fiducia Gratiæ & misericordiæ ipsius, propter Saluatorem & Redemtorem nostrum IESVM CHRISTVM, efficax illa in Sanctis, & probata in omni actione, honesta ac laudabili.*

FIDES HISTORICA *seu* DOGMATICA, *est assensio expers præiudicij, animi religiosi, & credentis verbo Dei.*

FIDES ARDENS *& miraculosa, mirabilium operum effectrix, est donum speciale Fidei.*

FIDES IVSTIFICANS, *est illud fiducia in Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, secundum quod iustitia applicatur Fide.*

IVSTITIA, *est sententia Dei pronuncians nos iustos, id est, acceptos & gratos ipsi, non*

ob

τὺς, καὶ κεχαρισμένους παρ' αὐτῷ, οὐ δι' ἀξίαν τῶν ἡμετέρων ἔργων, ἀλλὰ διὰ τὸν χριστὸν γενόμενον μεσίτην καὶ διαλλάκτην καὶ εἰρηνοποιὸν, ἐφ' ᾧ πιστεύομεν.

ΤΟ ΔΙΚΑΙΩΘΗΝΑΙ, ἐστὶ τὸ δικαίους νομισθῆναι, ἐν τῷ λογίζεσθαι τὸν θεὸν ἡμῖν πιστεύουσι τὴν δικαιοσύνην, πιστεῦσαι μόνον δέχει. δικαιοσύνη τὸ πιστεῦσαι μόνον.

ΧΑΡΙΣ, ἐστὶ εὔνοια καὶ ἀγάπη τοῦ ἵλεω καὶ εὐσπλάγχνου θεοῦ. ἡ ἐπιλαθόμενος τῶν ἡμαρτημένων, καὶ συγγνώμην νέμων ταῖς ἀμπλακίαις ἡμῶν, διὰ τὸν υἱὸν αὐτοῦ, στέργει τε τοὺς πιστεύοντας καὶ πᾶσαν ἀγαθοποιίαν ἐνδείκνυσιν αὐτοῖς, καὶ συνάγει αὐτοὺς ἐν βασιλείᾳ οὐρανοῦ, πρὸς τὴν σωτηρίαν ψυχῶν, ἥτις ἐστὶ ζωὴ αἰώνιος. χάριν ἐννοήσομεν οὖν τὸ δῶρον εἶναι καὶ μὴ ὀφείλημα τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ ἣ ἠγάπησεν ἡμᾶς ἐχθροὺς ὄντας ἔτι.

ΕΚΚΛΗΣΙΑ, ἐστὶ σύναξις τέκνων θεοῦ ἃ διεσκορπισμένα ἐν τῷ κόσμῳ συνήγαγεν ἰησοῦς ὁ χριστὸς ἀποθανὼν ὑπὲρ αὐτῶν. ἢ λαὸς ἔκκλητος διὰ κηρύγματος τοῦ εὐαγγελίου, ἐξ ὅλου τοῦ κόσμου εἰς βασιλείαν θεοῦ, καὶ δικαιοσύνην πίστεως ἐπ' ἔργοις καλοῖς ἀπεκδεχόμενος σωτηρίαν ψυχῶν, καὶ ζωὴν αἰώνιον. ἔστι δὲ μία τὶς ἐκκλησία χριστοῦ καθολικὴ καὶ

ὀρθό-

ob dignitatem seu meritum operum nostrorum, sed propter Christum, qui factus est Mediator & Reconciliator, & pacis effector, in quo credimus seu quo sumus freti.

IVSTIFICARI, *est statui nos esse iustos, Deo imputante nobis credentibus iusticiam. R. Credere solùm sufficit, Iustitia enim est credere tantùm.*

GRATIA, *est beneuolentia & caritas propriy atq; misericordis DEI, qua oblitus peccatorum, & venia data delictis nostris propter Filium ipsius, & diligit credentes, & omnem beneficentiam illis exhibet, & colligit eos in regno cœli, ad salutem animarum, quæ est vita æterna. Gratiam igitur intelligimus donum esse, & non debitum, Caritatem Dei qua dilexit nos adhuc hostes suos,*

ECCLESIA, *est collectio filiorum Dei, quos dispersos in mundo, congregauit IESVS CHRISTVS moriens pro ipsis. Aut est populus euocatus præconio Euangeliy ex toto mundo in regnum DEI & iustitiam fidei, ad facienda bona opera, expectans salutem animarum, & vitam æternam. Est verò vna quædam Ecclesia CHRISTI vniuersalis,*

& re-

ὀρθόδοξος, καὶ ἁγία, οἶκος ὑπάρχουσα θεοῦ ζῶντος, καὶ στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ σῶμα χριστοῦ, οὗ ἐκεῖνος κεφαλὴ καὶ σωτήρ.

ΜΕΤΑΝΟΙΑ, μῖσος καὶ ἀποστροφὴ ψυχικῶν τε καὶ σαρκικῶν λογισμῶν, ἅμα καὶ πράξεων, καὶ ἐπιθυμία ἐπανορθώσεως τοῦ βίου, ἐν ἀποθέσει πάσης ἀκαθαρσίας καὶ ἀνομίας, καὶ λύσει τῶν ἁμαρτηθέντων. σωτηρία δὲ ἔσται μετάνοια τοῖς πεποιθόσι ῥήματι θεοῦ, ἐν τῇ πίστει τῇ εἰς χριστὸν, καὶ τὴν τοῦ ἐλεήμονος θεοῦ χάριν διὰ χριστὸν, ταύτην τὴν πίστιν βεβαίαν εἶναι καὶ ἀμετακίνητον καὶ τῆς ἐπαγγελίας ἀνενδοιάστως ἔχεσθαι δεῖ, καὶ διαπαλαίειν καὶ μάχεσθαι τοῖς διαλογισμοῖς καὶ τῇ διαπορήσει.

ΑΠΟΛΥΣΙΣ, ἡ ἄφεσις ψυχικὴ τῶν ἁμαρτιῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐστὶ κήρυγμα εὐαγγελίου, ὥστε τοὺς αἰσθανομένους τοῦ τῶν ἁμαρτιῶν βάρους, τῷ καταφυγεῖν πρὸς τὸν τῆς χάριτος λόγον, τυγχάνειν τῆς ἀφέσεως, διὰ τοῦ ῥήματος θεοῦ προσφερομένης ἀεὶ, καὶ συνοικειουμένης τῇ πίστει ἑνὸς ἑκάστου.

ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ, ἢ τὸ ἱερόν, ἐστὶ πρᾶξις ἐπιτεταλμένη ῥητῶς καὶ διαλελαγμένη ὑπὸ τοῦ χριστοῦ, καὶ ἐξ ἀνάγκης ἐν ἐκκλησίᾳ τελουμένη ἀεὶ, ἐν ὁμολογίᾳ κοινῆς πίστεως, ἐπισφραγίζουσα τε τὸν τῆς ἐπαγγελίας λόγον, καὶ τὴν

τῆς

& rectè docens, & sancta, domus Dei viuentis, & columna ac stabilimentum veritatis, & corpus Christi, cuius ipse est Caput & Saluator.

POENITENTIA, est odium & auersio cogitationum animæ & carnis, simulq́; & actionum, & cupiditas corrigendi vitam, deposita omni immundicia & iniquitate, cum emendatione delictorum. Salutaris verò erit hæc Conuersio nitentibus verbo Dei, Fide in CHRISTVM & in gratiam misericordis Dei per CHRISTVM, hanc Fidem firmam esse, non fluctuantem, sed inhærentem promissioni oportet, & luctari atq; pugnare contra dubitationes ac diffidentiam.

ABSOLVTIO seu Remissio peccatorum generalis in Ecclesia, est vox Euangelij, quod sentientes pondus peccatorum, remissionem adipiscantur confugiendo ad verbum seu doctrinam gratiæ, quæ offertur verbo Dei semper, & uniuscuiusq; Fide applicatur.

MYSTERIVM vel SACRAMENTVM, est actio mandata verbis expressis, & ordinata à Christo, quæq; necessario in Ecclesia peragenda est semper in Confessione fidei communis, obsignans promissionis sermonem, & renouans

τῆς θείας χάριτος ἐνέργειαν τῇ μνήμῃ ἀνανεοῦσα. ἤ, μυστήριόν ἐστι πρᾶξις ἐρωμένη, θεωρίαν ἔχουσα πνευματικήν. ἤ, τελετὴ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐρωμένης πράξεως, θεωρίαν πνευματικὴν ἐχούσης, ἐκ διατάξεως ῥητῆς τοῦ κυρίου τελουμένη, καὶ ἐπισφραγίζουσα τὴν τῆς σωτηρίας ἐπαγγελίαν.

ΒΑΠΤΙΣΜΑ, λουτρόν ἐστι ὕδατος αἰσθητῶς, διαταγὴν ἔχον ῥήματος θεοῦ κελεύοντος βαπτίζεσθαι πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐπαγγελλομένου τὴν τῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσιν. καὶ γὰρ δὴ καὶ καινισμὸς τὸ πραττόμενον ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται.

ΔΕΙΠΝΟΝ ΚΥΡΙΑΚΟΝ, ἐστὶ πρᾶξις καὶ τελετὴ διατεταγμένη τῷ κελεύοντι ῥήματι ἐσθίειν ἐκ τοῦ ἄρτου, καὶ πίνειν ἐκ τοῦ ποτηρίου, ὁ ἄρτος τὸ τοῦ χριστοῦ σῶμα, καὶ τὸ ποτήριον, αἷμα αὐτοῦ ἐστί. διανέμεται τοίνυν κατὰ τὸ κυριακὸν δεῖπνον ἀτρεκῶς, τό, τε τοῦ χριστοῦ σῶμα ἐσθιόμενον, καὶ τὸ αἷμα πινόμενον, καὶ τὸ πρᾶγμα ἡ τῆς εὐσεβείας πίστις, πάσῃ ἀνθρωπίνῃ νοήσει ἀκατάληπτον ξυνίησι μόνη, ὅτι γίνεται ταῦτα οὐ πλαστῶς, οὐδὲ τυπικῶς ἤγουν τροπικῶς καθ' ὑπόνοιάν τινα, ἀλλὰ ἀληθῶς κατὰ τὸν νοῦν τῶν ῥημάτων.

ΚΛΕΙ-

uans memoria efficacitatem gratiæ diuinæ. AL. Mysterion, est actio oculis exposita, contemplationem habens spiritualem. Aut: Ritus in Ecclesia actionis exposita oculis, habentis contemplationem spiritualem, qui ex ordinatione diserta Domini perficitur, & obsignat salutis promissionem.

BAPTISMA, *Lauacrum est aquæ ad sensum, ordinationem habens verbi DEI iubentis baptissari omnes Gentes, & promittentis peccatorum remissionem. Nam & renouatio est hæc actio, & ita nominatur.*

COENA DOMINICA, *est actio & ceremonia manifestè ordinata verbo iubente comedere de pane illo, & bibere ex poculo illo, Panis ille ipsum Corpus Christi, & poculum sanguis eius est. Distribuitur itaq; in Dominica Cœna verè ipsius CHRISTI Corpus, quod comeditur: & Sanguis qui bibitur, & rem ipsam pietatis religiosæ Fides, quam nulla humanæ mentis facultas comprehendere possit, intelligit sola, non fieri hæc fictè, aut figuratè, tropico quodam commento, sed verè secundum verborum intelligentiam.*

ΚΛΕΙΔΟΥΧΙΑ, ἡ κλεῖδων ἐξουσία, ἐςὶ δῶρον οἰκεῖον τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, δεδομένον ὑπὸ χριςοῦ τοῖς ἀποςόλοις, δι᾽ ἐνεργείας πνεύματος ἁγίου, πρὸς διάκρισιν τῶν εὐσεβούντων, καὶ μὴ προσθείη δ᾽ ἂν μυςηρίοις τὶς ταύτην, οὐκ ἀπὸ σκοποῦ φράσας, ἔσοντε πρὸς τὴν χειρεπιθεσίαν, καὶ τὴν ἀπόλυσιν αὐτῆς τῶν μετανοούντων. ἥδε ἡ ἐξουσία ἐδόθη ὑπὸ κυρίου εἰς οἰκοδομὴν καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν, καὶ οὐχ ὥςε κατατυραννῆσαί τινας ταῖς ἐκκλησίαις.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ, σημαίνει πρόςασίαν τινὰ ὑπηρετικὴν ἐν τῷ δήμῳ, ἢ τὸ δημοσίως ἐπιτηδευόμενον ἐν ἐκκλεσιαςικοῖς συλλόγοις. κατ᾽ ἐπιταγὴν τοῦ κυρίου, καὶ εὐσεβῆ θεσμὸν, ἢ κανόνα τῆς εὐλαβοῦς εὐσχημοσύνης καὶ κοσμίου εὐταξίας.

ΘΥΣΙΑ ΑΛΗΘΙΝΗ καὶ μόνη τῶν χριςιανῶν, ἐςιν ἡ θυσία τῆς αἰνέσεως, ἣν ἀναφέρομεν διαπαντὸς τῷ θεῷ, τουτέςι καρπὸν χειλέων, ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

ΕΥΛΑΒΕΙΑ, ὑπόληψις ἀληθὴς, καὶ πιςὴ περὶ τοῦ θεοῦ, ποιητικὴ φόβου, καὶ καταγνώσεως, ἐν ὑπακοῇ λόγου σωτηρίας.

ΘΡΗ-

CLAVES ECCLESIAE *& potestas Clauium, est donum peculiare Catholicæ Ecclesiæ, datum Apostolis à Christo per efficaciam Spiritus sancti, ad discrimen eorum, qui piè religiosi sunt, & qui non sunt. Adiungere tamen & mysterijs possit aliquis hanc, oratione neutiquam abhorrente, quatenus illa quidem ad impositionem manuum, & absolutionem pœnitentium pertinet. Data est autem hæc potestas à Domino ad ædificationem, non ad destructionem, & non eò vt dominatione aliqui premant Ecclesiam.*

LITVRGIA *(seu Ministerium) significat præcipuum quoddam munus ministerij in populo, & est publica administratio in conuentibus Ecclesiasticis, secundum ordinationem Domini, & religiosam Legem seu Regulam piæ honestatis & decoræ dispositionis.*

SACRIFICIVM *verum atq; vnicum Christianorum, est sacrificium laudis, quod offerimus Deo, hoc est, fructus labiorum confitendo celebrantium nomen ipsius.*

PIETAS RELIGIOSA, *est iudicium verum & fidum de DEO, efficiens timorem, & humiliationem in obœdientia verbi salutis.*

ΘΡΗΣΚΕΙΑ, ἡ περὶ τὸ θεῖον θεραπεία ἢ τρόπος ἐπιχώριος τῶν ἱερουργιῶν.

ΛΑΤΡΕΙΑ, ἡ τῆς δουλείας ὑπηρέτησις.

ΠΡΟΣΕΥΧΗ, εὐσεβὴς προσφώνησις ἐπιτηδευομένη πρὸς τὸν θεὸν κατὰ τὴν διάταξιν τοῦ ῥήματος αὐτοῦ. ἢ ὁμιλία πρὸς τὸν θεὸν ἐν πίστει, καὶ ὑπακοῇ, κατὰ ἀναθεώρησιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. ἄλλως, προσευχὴ λόγος ἐστὶ γνωρίσας τῷ θεῷ τὰ τῶν δεομένων αἰτήματα ἐν ὑπακοῇ καὶ πίστει κυρίου ἰησοῦ.

ΕΠΙΚΛΗΣΙΣ, ἐκτένεια ψυχῆς δεητικὴ καταφυγούσης ἐν τοῖς δεινοῖς ἐπὶ βοήθειαν κρείττονος δυνάμεως, καὶ πιστευούσης ἐπαίειν ἐκείνην τῶν ἀναπτιθεμένων, καὶ ἐλπιζούσης τυχεῖν σωτηριώδους ἐξακούσεως.

ΔΕΗΣΙΣ, ἔκθεσις αἰτημάτων ἔμπροσθεν τοῦ δυναμένου βοηθεῖν, ἐπ' ἐλπίδι ἀντιλήψεως. ἢ λόγος δηλωτικὸς τῆς ἡμετέρας χρείας καὶ ἐνδείας.

ἹΚΕΤΕΙΑ, ἢ ἱκεσία, λόγος συγγνώμης ἢ ἐλέους καὶ βοηθείας αἰτητικός.

ΛΙΤΑΝΕΙΑ, ἐστὶ ἱκεσία ἐκτενὴς ὑπὲρ σωτηρίας καὶ ἀγαθοῦ, αὐτῷ τε, καὶ ἑτέροις,

CEREMONIA, *est obseruantia erga Deum. Aut est consuetudo patria sacrorum.*

CVLTVS, LATRIA, *est seruitij diuini obsequium.*

ORATIO, *est pia compellatio instituta ad Deum, iuxta præscriptum verbi eius. Al: Colloquium cum Deo in Fide & obœdientia, iuxta contemplationem voluntatis eius. Al: Oratio est sermo, stuens innotescere DEO orantum petitiones in Domini IESV obœdientia & Fide.*

INVOCATIO, *est intentio animæ precatoria, confugientis in difficultatibus ad auxilium melioris potentiæ & statuentis intelligere tam vota exposita, atq; sperantis consequi salutarem exauditionem.*

PRECATIO, *est expositio petitionum coram eo, qui possit iuuare, spe opitulationis. Aut, est sermo significans nostram penuriam & indigentiam.*

SVPPLICATIO, *est oratio, veniam aut commiserationem, aut suppetias implorans.*

LITANIA, *est supplicatio ardens pro re salutari & bona tam sibi quàm alijs, comprehen-*

συμπαραλαμβανοῦσα καὶ ἄλλων τινῶν αἰτιβολούντων κοινωνίαν.

ΕΝΤΕΥΞΙΣ ΚΑΙ ΜΕΣΙΤΕΙΑ, ἡ ὑπὲρ ἑτέρου δέησις, καὶ γίνεται ὑπὲρ ἄλλου ταλαιπωροῦντος, πρός τινος οἰκείου, ἢ φίλου ὄντος ἐκείνῳ παρ' οὗ ἐπικούφισις, ἢ χρηστόν τι προσδοκᾶται καὶ ἐλπίζεται.

ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΙΣ, σχῆμα ταπεινώσεως ἔμπροσθεν δυνατοῦ. ἤ. ὁμολογία ὑπεξουσιότητος τῇ ὑποπτώσει ἐν τῷ προσδραμεῖν ἑτέρῳ, καὶ τῷ δηλῶσαι ὅτι παραδίδομεν ἡμᾶς τῇ ἐξουσίᾳ ἐκείνου.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ, ἀπομνημόνευσις τῶν εὐεργεσιῶν, καὶ ἀμοιβὴ τῆς εὐφημίας, παρ' ἑβραίοις ἐξομολόγησις ὠνομάσθη.

ΥΜΝΟΣ, ἆσμα ἐπαίνου, καὶ δοξολογίας περὶ κρειττόνων.

ΕΥΛΟΓΙΑ, ἱερατικὴ, καὶ προφητικὴ δοξολογία, χαριστήριος μὲν πρὸς τὸν θεὸν, περὶ ἑτέρων ἢ θείας φωνῆς ὑπηρέτης λόγος ἐπαίνου, καὶ συστάσεως δι' εὐχῆς, ἔσθ' ὅτε, καὶ ἐξομολογήσεως.

ΕΞΟΜΟΛΟΓΗΣΙΣ, κήρυξις θείων μεγαλουργιῶν καὶ ἀγαθοποιιῶν. καὶ τῆς ἰδίας φαυλότητος, καὶ μοχθηρίας ἐξαγόρευσις.

dens & aliorum quorundam competitorum communicationem.

INTERCESSIO & MEDII *interpositio, est pro alio facta interpellatio, & fit propter alium laborantem, ab eo qui familiaris aut amicus est ipsius, vnde alleuatio aut commoditatis aliquid expectatur & speratur.*

ADORATIO, *est gestus humiliationis coram potente. Aut, Confessio subiicientis se alieno iuri in submissione, accurrendo ad alterum, & declarando quod tradamus nos in potestatem ipsius.*

GRATIARVM ACTIO, *est commemoratio beneficiorum, & remuneratio celebrationis, apud Hebraeos Confessio nominatur.*

HYMNVS, *est decantatio laudis & gloriæ benemeritorum.*

BENEDICTIO, *est sacra & Prophetica glorificatio, gratias agens quidem Deo, in alijs verò diuinæ vocis minister, sermo laudis & commendationis per votum, & Confessionis est aliquando.*

CONFESSIO, *est prædicatio diuinorum operum & beneficiorum, ac suæ improbitatis, prauitatisq́ indicatio.*

ΕΥΧΗ Η ΕΥΧΩΛΗ, ὑπέγγυος ἐπίκλησις τοῦ μνήμην, καὶ χάριν ἔχειν τὸν ἐξακουσθέντα, διὰ ἐπηγγελμένου τινὸς πράγματος ἢ ἔργου ἐκτελέσεως. ἢ, ἐπίκλησις μεθ' ὁμολογίας τοῦ ποιῆσαι ἢ ἀποτῖσαι, ἢ πρᾶξαι ῥητόν τι, τὸν τυχόντα ὧν ᾐτήσατο.

ΤΙΜΩΡΙΑ, ἐστὶ παιδεία πατρικῆς νουθετήσεως.

ΔΙΩΓΜΟΙ ΚΑΙ ΠΑΘΗΜΑΤΑ ὁσίων, εἰσὶ μαρτύρια τῆς ἀληθείας ὑπὲρ ἧς πάσχουσιν ἐκεῖνοι, ὄντες μέλη τοῦ χριστοῦ σώματος, ὅπερ ἀεὶ ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἐνοχλούμενον πολεμεῖται. ἐστὶ δὲ καὶ δοκιμασία ἐνίοτε καὶ πειρασμὸς, τὸ προσφερόμενον δεινὸν τῶν τε διωγμῶν καὶ ἄλλων θλίψεων.

ΘΑΝΑΤΟΣ, τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος ἀπ' ἀλλήλοιν διάλυσις. ἢ, τελευτὴ τοῦ εἶναι.

Η ΤΗΣ ΣΑΡΚΟΣ ἀνάστασις, ἔσται ἀποκατασταθῆναι καὶ ἀναβιῶναι αὖθις μετὰ τὸν θάνατον, τὸ αὐτὸ σῶμα, ὅπερ οἰχομένης τῆς ψυχῆς νεκρὸν ἐλέλειπτο, καὶ ζῶντας παραγενέσθαι ἡμᾶς πρὸς κρίσιν, ἐν ἀτελευτήτῳ μετὰ ταῦτα ἤτοι χαρᾷ ἢ ὀδύνῃ διάξοντας.

VOTVM & VOTIVVM, *est inuocatio sponsionem faciens, exauditum, memorem & gratum fore, nominato aliquo officio, aut operis effectione aliqua. Aut, est inuocatio cum stipulatione, facturum vel relaturum, aut peracturum id quod dictum est, cum qui consequatur res petitas.*

TIMORIA, *est castigatio monitionis paterna.*

PERSECVTIONES ET AFFLI-*ctiones Sanctorum, sunt testimonia veritatis, pro qua illi affliguntur, cum sint membra Corporis* CHRISTI, *quod semper à diabòlo conturbatur & oppugnatur. Est autem interdum exploratio & tentatio, illa atrocitas persecutionis, & aliarum afflictionum.*

MORS, *est dissolutio animæ & corporis à se inuicem. Aut finis essendi.*

CARNIS RESVRRECTIO, *erit quando restituetur & reuiuiscet iterum post mortem idem corpus quod discedente anima relictum fuerat, & nos viui statuemur ad iudicium, sic deinceps, vt in infinito gaudio vel dolore degamus.*

ΖΩΗ ΑΙΩΝΙΟΣ, ἀθανασία τῶν μὲν πιστῶν μακαρία, καὶ πανόλβιος, καὶ ἡδίστη, τῶν δ' ἀπίστων ἀθλία καὶ ὀδυνηρὰ καὶ πικροτάτη.

ΚΟΣΜΟΣ, ἐστὶ σύστημα οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ πάντων τῶν ἐμπεριεχομένων. ἢ, φύσεως ἁπάσης διακοσμηθεῖσα ὕλη εἰς τάξιν καλλίστην οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐμπεριεχομένων. Σημαίνεται δὲ τῇ λέξει ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν γραφῶν, καὶ τῆς ἀρίστης κτίσεως τῆς ὑπὸ θεοῦ κτισθείσης τὸ διεφθαρμένον καὶ λωβηθὲν ἐν κακίᾳ καὶ ἀπειθείᾳ τοῦ λογικοῦ κτίσματος. ὃ καὶ ἀπολωλὸς, καὶ ἀλλότριον δικαιοσύνης, καὶ ὁσιότητος, ἀσεβέστε, καὶ ἄθεόν ἐστι διὰ τοῦτο, καὶ σώζεται μόνον τὸ ἐξαίρετον κλητὸν, καὶ ἐκλεκτὸν, καὶ δίκαιον φῦλον, τὸ προσδεχόμενον τὸν τῆς ἀληθείας λόγον, ὅπερ ἐστὶν εὐαγγέλιον βασιλείας οὐρανῶν, καὶ ἐπάγγελμα ζωῆς αἰωνίου.

Τέλος.

VITA AETERNA, *est immortalitas fidelium illa quidem beata & felicissima atque suauissima, infidelium verò misera & plena dolorum, ac acerbissima.*

MVNDVS, *est Compages cœli & terræ, & vniuersorum in his contentorum. A L: Est natura totius exornata materia ordine pulcerrimo cœli & terræ, & omnium comprehensorum in his. Significatur autem hac voce in sacris literis, & optima creaturæ à DEO fabricatæ corruptio, & labefactatio in malicia & contumacia rationalis creaturæ, quæ & perdita & aliena à iustiçia & sanctitate, impia & scelerata ob hoc facta est, Ac saluatur tantum genus illud electum, vocatum peculiare & iustificatum, apprehendens verbum veritatis (quod quidem est Euangelium regni cœlorum) & promissionem vitæ æternæ.*

FINIS.

FORMA INVOCATIONIS, CVIVS RECITATIO DE VERA DOCTRINA DE DEO NOS ADMONEAT.


Mnipotens, æterne & viue DEVS, æterne Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, qui te patefeciſti immenſa bonitate, & clamaſti de Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, Hunc audite, cõditor omnium rerum, & conſeruator & opitulator, cum Filio tuo coæterno, Domino noſtro Ieſu Chriſto, regnante tecum & patefacto in Ieruſalem, & Spiritu ſancto tuo effuſo in Apoſtolos, ſapiens, bone, miſericors, iudex, & fortis, qui dixiſti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, Et dixiſti: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, Miſerere mei propter IESVM CHRISTVM Filium tuum Dominum noſtrum, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, & ſanctifica, rege, iuua, accende cor & animam meam Spiritu ſancto tuo, vt te verè agnoſcam & inuocem, tibi verè credam, gratias agam & obœdiam, rege & ſerua Eccleſiam tuam, ſicut promiſiſti, inqui-

inquiens: Hoc est Fœdus meum, cum eis, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui in æternum, semper luceat in nobis Euangelium tuum, & rege & confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ne in furores Epicuræos aut fanaticos ruam, guberna studia Ecclesiæ, & defende politias, quæ præbent hospitia Ecclesijs, propter nominis tui gloriam, Amen.

FORMA PRECATIONIS DIRECTA AD MEDIATOREM.

TE inuoco IESV CHRISTE Fili DEI viui crucifixe pro nobis & resuscitate, qui regnas ad dexteram Patris, vt des dona hominibus, & constitutus es Interpellator pro nobis, qui dixisti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, miserere mei, & intercede pro me apud æternum patrem tuum, & sanctifica & rege me Spiritu sancto tuo, defende me aduersus diabolos spiritus mendaces & homicidas, hostes tuos, sicut promisisti, inquiens: Non relinquam vos orphanos.

AD SPIRITVM SANCTVM.

SPI-

SPIRITVS SANCTE effuse in Apostolos, quem promisit nobis Filius Dei redemtor noster, vt accendat in nobis veram agnitionem & inuocationem Dei, sicut scriptum est: Effundam super vos spiritum gratiæ & precũ, exuscita in cordibus nostris verum timorem Dei, veram fidem, & agnitionem misericordiæ, quam nobis æternus Pater Domini nostri Iesu Christi propter Filium promisit, sis nobis Paracletus in omnibus consilijs & periculis, & accende mentes nostras, vt vera obœdientia Patrem Domini nostri IESV Christi, & Filium eius redemtorem nostrum & te, perpetuò celebremus. Amen.

Sequuntur formæ quædam selectæ iuxta Catechismi institutionem.

FORMA GENERALIS CONFESSIONIS IVXTA SERIEM DECALOGI, VTILIS AD COMMONEFACIENDOS ANIMOS.

PRIMA TABVLA LEGIS DIVINÆ.

Nil sum nulla miser noui solatia, massam
Humanam nisi quod tu quoq; Christe geris.
Tu me sustenta fragilem tu Christe guberna,
Fac vt sim massæ surculus ipse tuæ.

Debe-

DEberem equidem rectè cogitare de Deo, & firma Fide statuere, hunc verum esse Deum creatorem omnium rerum,& futurum iudicem omnium hominum, qui se patefecit dato verbo suo, & misso Filio, deberem vero timore obœdire, & metuere iram eius & iudicium, vera Fide eum inuocare propter Filium & diligere eum, & sentire aliquem grati pectoris motum erga DEVM. Deberem affici magnitudine misericordiæ, quod se nobis patefecit, quòd verè diligit genus humanum, verè vult nos saluos fieri: Deberem Filij beneficijs moueri, quod pro nobis passus est, quòd dedit Euangelium, quòd promittit Spiritum sanctum gubernatorem, & vitam æternam. Sed hæc omnia leuius mouent animum meum, quam debeant fieri, non satis timeo, sæpe dubito, & quadam perpetua dubitatione frigidius peto à Deo bona, frigidius inuoco, cōfido interim rebus præsentibus, & quæro præsidia vitæ, neglecto ordine, quem DEVS præcipit. Sæpè etiam falsa inuocatione errans offendi DEVM, sæpè nunc aberro, ne cogitem de vero DEO, qui se patefecit per Filium, nec cogitem de Filio, & de promissione. Deniq; non ardeo inuocatione, vt oportet.

Secundum Praeceptum.

DEberem Euangelium diligenter diſcere, celebrare ſermone & ornare exemplis, agnoſco autem meam negligentiam in hac re. Immò ſæpè prætexo priuatæ cupiditati Euangelium. Sæpè meis exemplis & ſcandalis præbeo occaſionem alijs maledicendi Euangelio; aut alieno aliquos: Interdum erraui in aliquo dogmate, & eo errore deformaui doctrinam cœleſtem.

Tertium Praeceptum.

SÆpe negligo publicas conciones & ceremonias in die Feſto, non impeditus alijs cauſis, & meo exemplo alios abduco: Non ago gratias Deo pro inſtituto miniſterio, pro conſeruatione Eccleſiæ, pro conſeruatione Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum, non adiuuo Eccleſiam precãtem pro publico ſtatu in cœtu, nimis leuiter afficior cura miſeriarum communium, quod inſcitia, diſcordijs, bellis, diſsipantur Eccleſiæ & Politiæ & multorum animæ & corpora pereunt, non adiuuo ipſe miniſterium Eccleſiaſticum meis officijs, non vereor, vt debeo, pios miniſtros: Interdum eis male-

dico, & meo exemplo confirmo contemtum aut odium eorum, non ſoluo eis debitas mercedes, ſæpè dies feſtos malè colloco in res turpes, & irrito Deum aduerſus multos.

SECVNDÆ TABVLÆ CONSIDERATIO ET EXPOSITIO.

QVARTVM PRÆCEPTVM.

SVm negligens in mea vocatione, in ſtudio, in regenda familia. Sum ingratus Deo pro beneficijs ordinis politici. Interdum iraſcor iniuſtè Magiſtratibus, & maledico eis, nec tribuo eis debitam reuerentiam ex animo. Interdum rixas excito contra leges, & violo politicum ordinem cum ſcandalo & aliorum detrimento, meis ſtultis tumultibus impedio alia publica negocia neceſſaria. Non ſum intentus, vt in meo ordine me coherceam, & caueam ne turbem communem harmoniam publici ſtatus, ſum πλεονεκτικὸς & meæ vtilitati magis ſeruio, quàm publicæ, aut capto occaſiones turbandi. Erga parentes ſum ἄστοργος, & ingratus, non reddo ἀντιθρεπτήρια, non tolero vera ἐπιεικεία moroſitates & infirmitates eorum.

NONVM ET DECIMVM.

DEniq; agnoſco me miſerum in hac cæcitate & ſecuritate horribiliter negligere iram Dei, & multis modis aberrare ab eius præceptis & multis ſcandalis alios lædere, & accerſere mihi & alijs pœnas, nec poſſe me magnitudinem malæ concupiſcentiæ, aut multitudinem meorum vitiorum, aut lapſuum intelligere, ſed fateor me meritum eſſe præſentes & æternas pœnas, ac vero dolore clamo, Tibi tantum ſum peccator, Domine coram te malefeci, vt iuſtificeris, &c. Confugio autem ad ſacram anchoram Filium DEI Dominum noſtrum IESVM Chriſtum propitiatorem, propter hunc oro, vt Deus æternus Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, bonus, ſapiens, iudex & fortis, iram ſuam à me auertat, & mihi peccata remittat propter Filium, & me ſua immenſa miſericordia recipiat, & regat Spiritu ſancto ſuo, ſicut dixit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

PRECATIO PIA, RECITATIONI SYMBOLI, ORATIONIS Dominicæ, & Pſalmorum certorum quotidiè adiungenda exemplo Phil. Melanchthon.

Omni-

OMnipotens æterne, viue & vere DEVS, creator cœli & terræ, & omnium creaturarum, Vna cum Filio tuo coæterno, Domino nostro IESV CHRISTO, crucifixo pro nobis & resuscitato, & Spiritu sancto tuo, viuo, casto & veraci: Sapiens, bone, verax, misericors, iuste, dator vitæ & sapientiæ, liberrime, caste, saluator. Confiteor tibi me miserum peccatorem habere multa peccata, & multipliciter deliquisse, & doleo toto corde, quod offendi te, & oro, vt propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, miserearis mei, & remittas omnia peccata mea, & iustifices me per & propter Iesum Christum Filium tuum λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον, quem voluisti pro nobis esse victimam, Mediatorem & intercessorem inenarrabili consilio & immensa sapientia ac bonitate, & sanctifices me Spiritu sancto tuo, viuo, casto, & veraci: Vt te omnipotentem, verum Deum, creatorem cœli & terræ & hominum, æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum Filium tuum, & Spiritum sanctum Paracletum, viuum, castum & veracem, verè agnoscam, tibi firmiter credam, tibi verè obœdiam, tibi gratias

agam, te verè timeam, te rectè inuocem, tibi seruiam, te videam propitium in tota æternitate, Conuerte me Domine ad iustitiam & vitam æternam. In te Domine speraui non confundar in tota æternitate: In iusticia tua libera me. Custodi & rege Ecclesias nostras ac Politias, & hanc scholam. Rege & protege Principes nostros, & da eis pacem & salutarem gubernationem. Ale Ecclesiam tuam, collige & serua Ecclesiam in his regionibus nostræ patriæ & sanctifica, & cõiunge eam Spiritu sancto tuo, vt sit vnũ in te in vera agnitione & inuocatione Filij tui Iesu Christi, per & propter hunc æternum Filium tuum Dominum nostrum Iesum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum. Amen.

Omnipotens æterne Fili Dei Domine IESV CHRISTE, qui es λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, μεσίτης καὶ ἱκέτης noster, nate ex Maria virgine, passe pro nobis, & resuscitate in carne, gratias ago tibi toto pectore, quod assumsisti humanam naturam, & constitutus es Redemtor meus, ascendisti in cœlum; sedens ad dexteram Patris, intercedis pro me, oro te respice me, & miserere mei, quoniam vnicus & pauper sum ego. Auge in me Spiritu sancto tuo lucem Fidei, & infirmum

mum me gesta, guberna, protege & salua, Redemisti me DEVS veritatis.

Omnipotens Spiritus sancte Paraclete, caste, viue, verax, illumina, rege, sanctifica me, confirma in mente mea & corde meo Fidem & veram consolationem. Serua & guberna me, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, vt semper sim & maneam templum Dei in tota æternitate, & semper Deo lætus gratias agam, & celebrem eum in resuscitatione carnis nostræ cum tota Ecclesia cœlesti, & in vita æterna, Amen.

SEPTEM PETITIONVM CAPITA ORATIONIS DOMInicæ, ad quæ omnes precandi formæ magna ex parte accommodari possunt.

OMnipotens, æterne, vere & viue DEVS, æterne Pater Domini nostri IESV CHRISTI, conditor cœli & terræ, vna cum Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO, & cum Spiritu sancto, Te supplex alloquor, oro & inuoco, ad te confugio, tuam misericordiam & opem veris gemitibus imploro, exaudi me, iux-

ta promiſsiones tuas, propter Filium Mediatorem, IESVM CHRISTVM, Tu es Pater noſter, tu vis nobis eſſe placatus, nos recipere & exaudire propter Filium tuum, quem conſtituiſti pro nobis propiciatorem. Ingens, verus & ardens amor eſt parentum erga natos, propterea vero animi motu, ad te Patrem amantiſsimum confugio, quem fiducia patefacti Filij certò ſtatuo, miranda & paterna beneuolentia mihi in omnibus periculis opitulaturum, & diuina conſolatione leniturum eſſe calamitates & ærumnas. Qui es in cœlis, qui es omnipotens, opitulator, & verè ades vbiq;, Vbiq; reſpicis & exaudis, cœlum & terram imples.

PRIMO.

AH Domine DEVS accende in nobis puram, veram, & ſanctam agnitionem nominis tui, da nobis puram & ſinceram doctrinam, effice, vt verè agnoſcaris, vt vera doceantur, per quæ gloria tua verè patefiat, vt te rectè inuocent & colant homines, ne vel errores amplectamur, vel idolatricos cultus recipiamus, ſed vt te verum & vnicum Deum, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te patefeciſti per hunc Filium Ieſum Chriſtum ab

initio miſſum ad Eccleſiam, crucifixum & reſuſcitatum, ſanctè agnoſcamus, tibi verè credamus, te rectè inuocemus, colamus & celebremus. Cuſtodi nos clementer, ne fanaticis & idolatricis furoribus animi noſtri faſcinentur, tolle idolatriam & omnes impias opiniones, effice, vt tu verus Deus rectè innoteſcas, verè agnoſcaris, vera Fide inuoceris, colaris & celebreris. Te oro æterne & viue Deus, vt tuam gloriam aſſeras, deletis omnibus idolis, blaſphemijs, hæreſibus, ſcandalis & alijs infinitis furoribus, qui tuum ſanctiſſimum nomen contumelia afficiunt.

SECVNDO.

ÆTerne Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, tu per miniſterium & vocem doctrinæ tuæ, regenera, rege, guberna nos Spiritu ſancto, inchoa in nobis regnum tuum in hac vita, & perfice poſt hanc vitam, ſis in nobis efficax, accende per vocem Euangelij & agnitionem tui, veram Fidem, iuſticiam & vitam æternam in cordibus noſtris, deſtrue regnum Diaboli immaniter graſſantis in genere humano. Non concedas diabolo, vt præſtigijs ſuis, noſtros animos capiat, & deinde implicatos & irretitos horribiliter im-

pellat & euertat. Habitet ac regnet IESVS CHRISTVS, Filius tuus potenter & efficaciter, ac mansionem faciat in nobis, sicut ipse promisit, inquiens: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Semper tibi inter nos collige æternam Ecclesiam per ministerium Euangelij & Sacramentorum incorruptum. Destrue portas inferorum, quæ pusillum gregem euertere conantur, serua, rege, ac defende nauiculam, quæ tuos Argonautas vehit inter maximos fluctus & procellas tumultuantium imperiorum, resuscita nos ex morte ad gloriam, & vitam sempiternam.

TERTIO.

DOMINE Deus, Tu regas ipse & adiuues tuas functiones, vt in omni gubernatione, administratione, vocatione, Tua voluntas fiat, vt fiant ea quæ tu mandasti, fiant tibi grata & placentia, videlicet, vt concionatores & Ecclesiæ ministri rectè, fideliter, sanctèq; doceant: vt Reges, Principes, Consules, ac omnes qui præsunt, pijs & salutaribus consilijs constituant, regant ac defendant respublicas, Vt Patres, Matresq; familias honestè cu-

rent

rent suos liberos educari, erudiri & castigari iuxta doctrinam cœlestem: Vtque singuli suo loco officium suum ritè & feliciter faciant, ac maneant omnes adiuncti, copulatique tibi Deo, tanquam membra viua suo vero capiti, & omnes tibi obœdiant, nec auulsi discedant & aberrent à vero capite. Tolle omnia scandala gubernatorum & aliorum, quæ offendūt tuam voluntatem. Non concedas, vt Diaboli serant falsam doctrinam, spargant inter nos tetros errores, & contumeliosos aduersus Deum, quibus homines auellant à Deo, sicut Adam & Euam deceptos abstraxerunt à tua voluntate. Non accendant Diaboli odio tui tyrannides, & iniusta bella contra tuam voluntatem, ne sequantur tristissimę vastationes Ecclesiarum, interitus disciplinæ, & piorum studiorum iuuentutis. Da vt omnes tibi obœdiant in terra, Da vt singuli suo loco officia rectè faciant, sicut angeli in cœlo tibi obœdiunt & placent tibi. Tuum opus est efficere, vt nos miseri, stulti, infirmi, res geramus bonas & salutares, simus organa non iræ, sed misericordiæ, simus vtiles Ecclesiæ, non simus pestes aut ἀλάστορες. Atque cum dederis nobis vt velimus, da etiam vt perficiamus, vt tibi aliqua gra

SPIRITVS SANCTE effuſe in Apoſtolos, quem promiſit nobis Filius Dei redemtor noſter, vt accendat in nobis veram agnitionem & inuocationem Dei, ſicut ſcriptum eſt: Effundam ſuper vos ſpiritum gratiæ & precũ, exuſcita in cordibus noſtris verum timorem Dei, veram fidem, & agnitionem miſericordiæ, quam nobis æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti propter Filium promiſit, ſis nobis Paracletus in omnibus conſilijs & periculis, & accende mentes noſtras, vt vera obœdientia Patrem Domini noſtri IESV Chriſti, & Filium eius redemtorem noſtrum & te, perpetuò celebremus. Amen.

Sequuntur formæ quædam ſelectæ iuxta Catechiſmi inſtitutionem.

FORMA GENERALIS CONFESSIONIS IVXTA SERIEM DECALOGI, VTILIS AD COMMONEFACIENDOS ANIMOS.

PRIMA TABVLA LEGIS DIVINÆ.

Nil ſum nulla miſer noui ſolatia, maſſam
Humanam niſi quod tu quoq; Chriſte geris.
Tu me ſuſtenta fragilem tu Chriſte guberna,
Fac vt ſim maſſæ ſurculus ipſe tuæ.

Debe-

DEberem equidem rectè cogitare de Deo, & firma Fide statuere, hunc verum esse Deum creatorem omnium rerum, & futurum iudicem omnium hominum, qui se patefecit dato verbo suo, & misso Filio, deberem vero timore obœdire, & metuere iram eius & iudicium, vera Fide eum inuocare propter Filium & diligere eum, & sentire aliquem grati pectoris motum erga DEVM. Deberem affici magnitudine misericordiæ, quod se nobis patefecit, quòd verè diligit genus humanum, verè vult nos saluos fieri: Deberem Filij beneficijs moueri, quod pro nobis passus est, quòd dedit Euangelium, quòd promittit Spiritum sanctum gubernatorem, & vitam æternam. Sed hæc omnia leuius mouent animum meum, quam debeant fieri, non satis timeo, sæpe dubito, & quadam perpetua dubitatione frigidius peto à Deo bona, frigidius inuoco, cōfido interim rebus præsentibus, & quæro præsidia vitæ, neglecto ordine, quem DEVS præcipit. Sæpè etiam falsa inuocatione errans offendi DEVM, sæpè nunc aberro, ne cogitem de vero DEO, qui se patefecit per Filium, nec cogitem de Filio, & de promissione. Deniq; non ardeo inuocatione, vt oportet.

dico, & meo exemplo confirmo contemtum aut odium eorum, non ſoluo eis debitas mercedes, ſæpè dies feſtos malè colloco in res turpes, & irrito Deum aduerſus multos.

SECVNDÆ TABVLÆ CONSIDERATIO ET EXPOSITIO.

QVARTVM PRÆCEPTVM.

SVm negligens in mea vocatione, in ſtudio, in regenda familia. Sum ingratus Deo pro beneficijs ordinis politici. Interdum iraſcor iniuſtè Magiſtratibus, & maledico eis, nec tribuo eis debitam reuerentiam ex animo. Interdum rixas excito contra leges, & violo politicum ordinem cum ſcandalo & aliorum detrimento, meis ſtultis tumultibus impedio alia publica negocia neceſſaria. Non ſum intentus, vt in meo ordine me coherceam, & caueam ne turbem communem harmoniam publici ſtatus, ſum πλεονεκτικὸς & meæ vtilitati magis ſeruio, quàm publicæ, aut capto occaſiones turbandi. Erga parentes ſum ἄστοργος, & ingratus, non reddo ἀντιπελαργεῖα, non tolero vera ἐπιεικείᾳ moroſitates & infirmitates eorum.

QVINTVM PRAECEPTVM.

SÆpe incendor iniusta indignatione, & cupiditate vindictæ. Addo malas execrationes, quæ ex cupiditate nocendi erumpunt, Moueor æmulatione, Doleo alterius potentiam aut autoritatem crescere, & premere eum cupio: Sum superbus, despicio pares, & me eis anteferri postulo: Sum suspicax, & ex falsis suspicionibus interdum iniusta odia concipio, sero & confirmo discordias, sæpè pertero aliquid liuoris & maleuolentiæ, delector obtrectatione. Interdum calumniose deprauo aliena dicta & facta, non studeo sanare offensiones, & conciliare voluntates, sino crescere odia priuato liuore, vel alia priuata caussa, maledico absentibus. Interdum afficio contumelia præsentes, impedio inuocationem meam, & aliorum, excitatis odijs aut dissidijs.

SEXTVM PRAECEPTVM.

HAbeo errantes motus & flammas varias libidinum, indulgeo oculis, & cogitationibus impudicis, contaminatur & corpus. Hæc mala augeo intemperantia & crapula. His incendijs & crapulæ fastidijs impedio pias meditationes, &

preca-

precationes, & accerſo beluinam feritatem, cumulo mea impuritate iram D E I aduerſus me, meam familiam & ciuitatem.

SEPTIMVM PRAECEPTVM.

FRuor liberalitate parentum, aut ſtipendio publico, & non benè colloco, defraudo meos fratres, aut alios pauperes, ſum iniuſtus in contractibus, non ſtudeo propter Deum ſeruare æqualitatem, malignè ſoluo debita pretia, exerceo aucupia pecuniæ quærendæ iniuſta, ſumo mutuò varijs prætextibus, ac ne curo quidem ſoluere, retineo res alienas, non ſum fidelis & diligens in mandato labore, res vitioſas vendo, res locatas corrumpo.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

NOn præſto candorem & veritatem, quam D E V S requirit in dictis & factis, admiſceo ſophiſticen conſilijs & negocijs, aut doctrinæ, interdum propugno falſa ex odio, iracundia, aut iniuſta pertinacia, aut adulatione, aut metu, in moribus etiam eſt hypocriſis, ſimulatione virtutis, aut falſa iactantia.

OMnipotens æterne, viue & vere DEVS, creator cœli & terræ, & omnium creaturarum, Vna cum Filio tuo coæterno, Domino noſtro IESV CHRISTO, crucifixo pro nobis & reſuſcitato, & Spiritu ſancto tuo, viuo, caſto & veraci: Sapiens, bone, verax, miſericors, iuſte, dator vitæ & ſapientiæ, liberrime, caſte, ſaluator. Confiteor tibi me miſerum peccatorem habere multa peccata, & multipliciter deliquiſſe, & doleo toto corde, quod offendi te, & oro, vt propter Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, miſerearis mei, & remittas omnia peccata mea, & iuſtifices me per & propter Ieſum Chriſtum Filium tuum λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam, Mediatorem & interceſſorem inenarrabili conſilio & immenſa ſapientia ac bonitate, & ſanctifices me Spiritu ſancto tuo, viuo, caſto, & veraci: Vt te omnipotentem, verum Deum, creatorem cœli & terræ & hominum, æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Ieſum Chriſtum Filium tuum, & Spiritum ſanctum Paracletum, viuum, caſtum & veracem, verè agnoſcam, tibi firmiter credam, tibi verè obœdiam, tibi gratias

agam, te verè timeam, te rectè inuocem, tibi seruiam, te videam propitium in tota æternitate, Conuerte me Domine ad iustitiam & vitam æternam. In te Domine speraui non confundar in tota æternitate: In iusticia tua libera me. Custodi & rege Ecclesias nostras ac Politias, & hanc scholam. Rege & protege Principes nostros, & da eis pacem & salutarem gubernationem. Ale Ecclesiam tuam, collige & serua Ecclesiam in his regionibus nostræ patriæ & sanctifica, & cōiunge eam Spiritu sancto tuo, vt sit vnū in te in vera agnitione & inuocatione Filij tui Iesu Christi, per & propter hunc æternum Filium tuum Dominum nostrum Iesum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum. Amen.

Omnipotens æterne Fili Dei Domine IESV CHRISTE, qui es λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, μεσίτης καὶ ἱκέτης noster, nate ex Maria virgine, passe pro nobis, & resuscitate in carne, gratias ago tibi toto pectore, quod assumsisti humanam naturam, & constitutus es Redemtor meus, ascendisti in cœlum; sedens ad dexteram Patris, intercedis pro me, oro te respice me, & miserere mei, quoniam vnicus & pauper sum ego. Auge in me Spiritu sancto tuo lucem Fidei, & infirmum

mum me gesta, guberna, protege & salua, Redemisti me DEVS veritatis.

Omnipotens Spiritus sancte Paraclete, caste, viue, verax, illumina, rege, sanctifica me, confirma in mente mea & corde meo Fidem & veram consolationem. Serua & guberna me, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, vt semper sim & maneam templum Dei in tota æternitate, & semper Deo lætus gratias agam, & celebrem eum in resuscitatione carnis nostræ cum tota Ecclesia cœlesti, & in vita æterna, Amen.

SEPTEM PETITIONVM CAPITA ORATIONIS DOMInicæ, ad quæ omnes precandi formæ magna ex parte accommodari possunt.

Omnipotens, æterne, vere & viue DEVS, æterne Pater Domini nostri IESV CHRISTI, conditor cœli & terræ, vna cum Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO, & cum Spiritu sancto, Te supplex alloquor, oro & inuoco, ad te confugio, tuam misericordiam & opem veris gemitibus imploro, exaudi me, iux-

initio miſſum ad Eccleſiam, crucifixum & reſuſcitatum, ſanctè agnoſcamus, tibi verè credamus, te rectè inuocemus, colamus & celebremus. Cuſtodi nos clementer, ne fanaticis & idolatricis furoribus animi noſtri faſcinentur, tolle idolatriam & omnes impias opiniones, effice, vt tu verus Deus rectè innoteſcas, verè agnoſcaris, vera Fide inuoceris, colaris & celebreris. Te oro æterne & viue Deus, vt tuam gloriam aſſeras, deletis omnibus idolis, blaſphemijs, hæreſibus, ſcandalis & alijs infinitis furoribus, qui tuum ſanctiſſimum nomen contumelia afficiunt.

SECVNDO.

Æterne Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, tu per miniſterium & vocem doctrinæ tuæ, regenera, rege, guberna nos Spiritu ſancto, inchoa in nobis regnum tuum in hac vita, & perfice poſt hanc vitam, ſis in nobis efficax, accende per vocem Euangelij & agnitionem tui, veram Fidem, iuſticiam & vitam æternam in cordibus noſtris, deſtrue regnum Diaboli immaniter graſſantis in genere humano. Non concedas diabolo, vt præſtigijs ſuis, noſtros animos capiat, & deinde implicatos & irretitos horribiliter im-

pellat & euertat. Habitet ac regnet IESVS CHRISTVS, Filius tuus potenter & efficaciter, ac mansionem faciat in nobis, sicut ipse promisit, inquiens: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Semper tibi inter nos collige æternam Ecclesiam per ministerium Euangelij & Sacramentorum incorruptum. Destrue portas inferorum, quæ pusillum gregem euertere conantur, serua, rege, ac defende nauiculam, quæ tuos Argonautas vehit inter maximos fluctus & procellas tumultuantium imperiorum, resuscita nos ex morte ad gloriam, & vitam sempiternam.

TERTIO.

DOMINE Deus, Tu regas ipse & adiuues tuas functiones, vt in omni gubernatione, administratione, vocatione, Tua voluntas fiat, vt fiant ea quæ tu mandasti, fiant tibi grata & placentia, videlicet, vt concionatores & Ecclesiæ ministri rectè, fideliter, sanctèque doceant: vt Reges, Principes, Consules, ac omnes qui præsunt, pijs & salutaribus consilijs constituant, regant ac defendant respublicas, Vt Patres, Matresque familias honestè cu-

rent

rent ſuos liberos educari, erudiri & caſti-
gari iuxta doctrinam cœleſtem: Vtq; ſin-
guli ſuo loco officium ſuum ritè & felici-
ter faciant, ac maneant omnes adiuncti,
copulatiq; tibi Deo, tanquam membra
viua ſuo vero capiti, & omnes tibi obœ-
diant, nec aulli diſcedant & aberrent à
vero capite. Tolle omnia ſcandala guber-
natorum & aliorum, quæ offendũt tuam
voluntatem. Non concedas, vt Diaboli
ſerant falſam doctrinam, ſpargant inter
nos tetros errores, & contumelioſos ad-
uerſus Deum, quibus homines auellant à
Deo, ſicut Adam & Euam deceptos abs-
traxerunt à tua voluntate. Non accen-
dant Diaboli odio tui tyrannides, & in-
iuſta bella contra tuam voluntatem, ne
ſequantur triſtiſsimę vaſtationes Eccleſi-
arum, interitus diſciplinæ, & piorum ſtu-
diorum iuuentutis. Da vt omnes tibi o-
bœdiant in terra, Da vt ſinguli ſuo loco
officia rectè faciant, ſicut angeli in cœlo
tibi obœdiunt & placent tibi. Tuum opus
eſt efficere, vt nos miſeri, ſtulti, infirmi,
res geramus bonas & ſalutares, ſimus or-
gana non iræ, ſed miſericordiæ, ſimus vti-
les Eccleſiæ, non ſimus peſtes aut ἀλάστο-
ρες. Atq; cum dederis nobis vt velimus,
da etiam vt perficiamus, vt tibi aliqua gra

alijs cladibus pereant, & mitiga pœnas quas meriti ſumus.

QVINTO.

CONfitemur tuæ miſericordiæ ô immenſe & æterne Pater, nos circumferre peccatorũ molem multo maximam & multiplicem infirmitatem, & terreri indignitatis & triſtiſsimorum lapſuum conſpectu. Sed tu DOMINE Deus miſerere noſtri, eſto propicius, ignoſce, parce nobis propter Filium tuum Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, & remitte nobis omnia peccata noſtra, & flecte mentes ad veram pœnitentiam, in qua agnitionem lapſuum noſtrorum, & tuæ condonationis gratuitæ ſequatur noua obœdientia, fugiens ac reformidans omnes peccandi occaſiones, & remittens alijs errata, quibus offenſi ſumus. Cum autem noſtra condonatio ſit immunda & imperfecta, ac plerunque vulnere ſanato cicatrix maneat, te ardentibus gemitibus oramus, vt has ſordes tabula aurea propiciatorij tegas, & Spiritu ſancto tuo omnes errantes cupiditates opprimas atque extinguas.

SEXTO.

NE ſinas nos pertrahi à Diabolo ad impietatem, & ad alia ſcelera, defende nos contra Diaboli inſidias, rege nos tua luce, tuis conſilijs, ne ſinas nos ruere deceptos noſtris erroribus aut impulſos imbecillitate carnis. Toto pectore te oramus Fili Dei viue, crucifixe pro nobis & reſuſcitate Emanuel, fac nos vaſa miſericordiæ, fer opem infirmitati noſtræ, ſicut promiſiſti, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Reprime graſſantem Diabolum, qui nunc maiores flammas odij acerbiſsimi aduerſus Eccleſiam concipit, omnemq́ regni ſui conatum in noſtram perniciem parat atq; meditatur, cum videat non procul abeſſe diem iudicij, in quo immenſa ipſius turpitudo, angelis & hominibus patefiet, & cruciatus eius horrendi augebuntur. Scimus Domine quod non eſt hominis via eius, neq; eſt viri dirigere greſſus ſuos. Dirige igitur tu greſſus noſtros ſecundum eloquium tuum, ne dominetur in nobis omnis iniquitas. Obſigna in nobis doctrinam Spiritu ſancto tuo, vſq; ad lætiſsimum diem redemtionis, vt præclarum depoſitum tibi reddere poſsimus piè & inuiolatè, & coronam

ronam consequi, quæ contexta est diligentibus nomen tuum.

SEPTIMO.

ERipe nos ô DEVS, ex his miserijs, ærumnis, scandalis & calamitatibus publicis & priuatis omnibus, quibus propter peccatū obnoxij sumus. Libera nos à tyrannide Sathanæ, & calamitates præsentes clementer mitiga. Deniq; cum voles nos ex hoc fragili domicilio euocare in æternam Patriam, accende in nostris pectoribus initia vitæ æternæ, vt agnoscamus te solum esse Deum, & quem misisti Iesum esse Christum, Et cum vniuersa Ecclesia erepta ex omnibus miserijs, donemur luce, iusticia & vita æterna, & fruamur dulcissima consuetudine Dei æterni & Domini nostri Iesu Christi, Amen.

EPIPHONEMA.

ÆTerne Deus, cum te nobis immēsa bonitate patefeceris, & tradideris nobis verbum tuum, ac propter id in nobis habites, ne sinas extingui lucem Euangelij tui, & agnitionem & inuocationem nominis tui, ne sinas deleri doctrinam de disciplina, ac plena omnia fieri Turcicæ & Hispanicæ immanitatis et spurciciei,

bone, verax, iuſte, caſte, liberrime, miſericors, verè diligens & exaudiens nos, cuſtos Eccleſiæ, miſerere huius baptizati propter Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, & ſanctifica eum Spiritu ſancto tuo, vt te verè agnoſcat & inuocet, & tibi verè credat, gratias agat & obœdiat, Regenera & rege eum Spiritu ſancto, vt cor fide accenſum & purificatum remiſsione peccatorum, indutum atq; ornatum puritate & iuſtitia Chriſti, vero amore amplectatur & proſequatur mundiciem, iuſtitiam & ſanctitatem: odio habeat peccatum, repugnet prauis cupiditatibus, & incendia vitioſorum affectuum reprimat, vt non regnet peccatum in mortali corpore eius. Cuſtodi eum, ne ſpectris opinionum & præſtigijs Diaboli ſeducatur vnquam in errores, deliria, ſecuritatem & contemptum Dei Epicureum, ſed fac eum ex vera vite propagatum palmitem, ſibi & alijs ſalutarem, qui te perpetuò celebret, & tibi laudem dicat.

PRECATIO ACCEDENTIS AD COENAM CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI.

O Immense DEVS, qui te patefecisti humano generi, certis & illustribus testimonijs, & volũtatem tuam de nostra salute, traditis promissionibus de reconciliatione declarasti, & harum promissionum voce Ecclesiam tibi inde vsq; ab initio post receptos primos parentes condidisti, & collegisti, atq; vt promissiones fierent insigniores, testimonia & signa visibilia in oculos incurrẽtia addidisti, quæ sint quasi σφραγῖδες promissionum editarum. Ac immensa misericordia semper seruasti, & subinde restituisti ministerium Euangelij, & publicos Ecclesiæ congressus, Inclusa etiam tandem promissione, nõ interituram esse Ecclesiam, in hac ipsa Cœna, quam æternus Filius λόγος, ante postremum agonem instituit, & vniuersæ Ecclesiæ summa cum pietate & obseruantia retinendam atq; vsurpandam præcepit, in qua pane manducato & vino hausto, simul nobis exhibet atq; impertit, iuxta formulam testamenti, corpus illud, quod pro salute generis humani, acerbissimos cruciatus sustinuit, & sanguinem preciosum, quem amore nostri ardens, largè

largè effudit in remissionem peccatorum (Quo enim pignore euidentius testari potuit vnumquenque hæredem esse scriptum nominatim, ex toto asse, omnium bonorum, quæ liberator noster possidet, quàm dato corpore, non quidem alieno, sed suo, & sanguine, quo nihil esse potest preciosius?) Da igitur vt nobis dignè vtentibus in vera pœnitentia, hæc actio & sumtio reuocet in memoriam tot magnifica & salutaria beneficia, quæ à Domino nostro Iesu Christo in genus humanum profecta sunt, & hac dulcissima recordatione, in nobis exuscitetur Fides, Inuocatio, Confessio, Spes resurrectionis nostræ carnis, pia reuerentia & gratitudo erga te Patrem æternum, & Filium, qui caro & frater noster factus, & Spiritum sanctum paracletum, Et vt hoc vinculo dilectionis quo cum alijs membris Christi & veræ Ecclesiæ colligamur, vniti, coniunctissimè & amantissimè inter nos viuamus, & te celebremus, per omnia secula seculorum, & loca locorum, Amen.

FORMA GRATIARVM ACTIONIS.

Ad Æternum Patrem.

OMnipotens, æterne, viue & vere DEVS, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cœli & terræ, & hominum, & omnium creaturarum, & conseruator, dator vitæ, legis & sapientiæ, & opitulator vnà cum Filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, λόγῳ καὶ εἰκόνι σοῦ ἀϊδίῳ & Spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos, casto & veraci, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, misericors, caste, liberrime, tibi gratias ago, quod reuelasti te nobis, quod misisti Filium, & voluisti eum assumere humanam naturam, inenarrabili sapientia & bonitate, & fieri victimam pro nobis, qui colligis æternam Ecclesiam, & quod inter nos colligis, seruas ministerium Euangelij, das Spiritum sanctum & vitam æternam, & quod das nobis bona corpori nostro necessaria, & mitigas ac tollis pœnas, deniq; pro omnibus beneficijs animæ & corporis.

AD ÆTERNVM FILIVM.

AGO tibi gratias omnipotens Fili Dei, Domine IESV CHRISTE, Verbum & Imago æterni Patris, crucifixe pro nobis & resuscitate, nate ex virgine, Emanuel, sedens ad dexteram æterni Patris, colligens & seruans æternam Eccle-

ſiam voce Euangelij, quod patefeciſti nobis æterni Patris miſericordiam, & decretum de redemtione, & ſemper collegiſti Eccleſiam, & aſſumſiſti humanam naturam, es Mediator, redemtor, iuſtificator & ſaluator, es ſummus Sacerdos, ſemper intercedens pro nobis, dans vocem Euangelij, & es efficax per eam, & das remiſsionem peccatorum, & es Rex, colligens, ſeruans & protegens Eccleſiam, & das Spiritum ſanctum, ijs qui ad te conuertuntur, & Euangelij voce ſe ſuſtentant, & reſtituens in nobis iuſticiam & vitam æternam, das lucem in conſilijs, intellectum verbi tui, depellis Diabolos, das etiam bona corpori neceſſaria.

AD SPIRITVM SANCTVM.

AGo tibi gratias omnipotens, verax, caſte Spiritus ſancte, procedens ab æterno Patre & Filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, effuſe in Apoſtolos, quod confirmas corda noſtra, vt firmiter aſſentiantur verbo Dei, & flectis ea ad inuocationem Dei, & ad omnes motus legi diuinæ congruentes, & lætificas ea, vt acquieſcant in Deo, petant & expectent omnia beneficia Dei. Das etiam bona corpori neceſſaria, &c. Pater noſter.

FORMA PETENDI ABSOLVTIONEM A MINISTRO ECCLESIAE, QVA ETIAM Pœnitentiæ partes explicantur.

AGnoſco & deploro, ac verè doleo, Deum à me offenſum eſſe horribiliter, in hac cæcitate & ſecuritate humanæ mentis, & me multis modis aberrare ab eius præceptis, & accerſere mihi & alijs pœnas, nec poſſe me magnitudinem aut multitudinem meorum viciorum aut lapſuum intelligere, ac fateor, me meritum eſſe præſentes & æternas pœnas: Confugio autem ad Filium Dei Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM propiciatorem, propter hunc oro, vt Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti iram ſuam à me auertat, & mihi peccata remittat, propter Filium, & me ſua immenſa miſericordia recipiat, ſicut dixit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ac polliceor me repugnaturum eſſe peccato, & nihil factum contra conſcientiam, & oro Deum, vt me regat Spiritu ſancto ſuo, & à vobis tanquam miniſtro Chriſti peto, vt pro poteſtate clauium conceſſa Eccleſiæ à Filio DEI, vocem Euangelij mihi annuncietis.

cietis, cui credo, & ſimul Eccleſiæ promitto, me mores emendaturum eſſe, & ſcandala vitaturum, Militaturum bonam militiam, retinendo Fidem, & bonam conſcientiam.

Dixi.

Σοῦ μένοι αἰὲν ἔχοντος ὅλη ἐκκλησία χριστὲ,
ἣ συναφεῖς ἡμᾶς δεξιὰ σεῖο φέροι.
τρεῖς ὡς ἐν φλογὶ μαρτύρους βαβυλωνίδι σώζεις,
τοῦ βασιλεύς σε θεὸν παρχεδὸν ὄντα βλέπεν.

ἄλβ. λωτλύχ. ἰωαχ.

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS ET PRÆCLARIS COMITIBVS ET DOMINIS, DOMINO IOHANNI ET DOMINO ANTONIO,

Fratribus, Comitibus Oldenburgicis & Delmenhorſtanis &c. Dominis ſuis clementibus.



Eneroſiſſimi Comites, *Domini Clementes, Patroni colendiſsimi. Cum doctiſsimus V. Albertus Lyttichius Ioachïmus recudendum Libellum continentem Quæſtiones vtiliſsimas ex Philippi Præceptoris, piæ memoriæ, ſcriptis collectas, & in vſum ſcholaſticæ iuuentutis antea editas, mihi mitteret, &, vt limam atq; cenſuram meam, qua minimè opus eſt, adhiberem rogaret, & inſuper Epitomen Auguſtanæ Confeſsionis, quatenus hæc in ſcholis puerilib. proponi breuiter memoriæ & ſummæ causâ, poſsit, adiungeret, ſtatim cogitaui de hoc Libello, qui per quàm vtilis*

I 5 & ne-

& necessarius Scholis mihi visus est, ad Generositates vestras ablegando, vt is cum testimonium praeberet de mea cura & solicitudine pro incremento Ecclesiarum et Scholarum vestrarum, quibus inseruire cupio, quoad vixero, quantum potero, tum ostenderet se adesse ablegatum, vt in Scholis vestrarum Generositatum locum haberet, & studiosae pueritiae & adolescentiae proponeretur. Indicat enim & continet hic Libellus ea, quae nostrorum Praeceptorum, Eliae, & Elisaei, hoc est, LVTHERI & PHILIPPI laboribus fideliter sunt scripta, & propagata, & vt pueris proponerentur, perspicuè tradita, & Quaestionibus comprehensa, & iubet fugere & detestari omnia ista, quae Cacodaemon & turbator Gehasi, Elisaei auarus & degener discipulus, leprâ punitus, hoc est, omnes Nephilim, cadentes siue deficientes, (de quibus scriptum est, Psal. 68. quòd recipiant apostatae sese in caluiciem) quocunque nomine istos dixerimus, contra puritatem illam doctrinae, cuius regula in hoc Libello delineata est, excogitant &

& afferunt. Certè si à teneris assuescere magnum & multum est in omni disciplinarum genere, hodie à teneris rectè percepisse Capita doctrinæ cœlestis magnum & multum, & maximè necessarium est. Recordamur enim absolutæ ferè Periodi, quæ à D. Luthero prædicta est de Nocham Iehouah, expressa summatim hisce verbis: Sæpe Deum oro, vt generationem nostram sinat nobiscum mori, & quidem ante annos triginta, propterea quòd nobis sublatis periculosissima tempora sequentur. Sæpe quoq; septenarij numeri nescio qua fatali ratione ominosi atq; efficacis, memores sumus. Sed tamen consolāmur nos ipsos, dum modo in Scholis aliquibus rectè erudiri pueritiam, & fontib. Israël fideliter imbui videamus. Et profectò summi thesauri loco habendus est hodie pius, doctus, & fidelis pueritiæ magister, & ludi literarij Rector, cui curæ & cordi est pietas & sincera doctrina. Cumq; talem ex paucorum numero esse D. LYTTICHIVM ostendat hic Libellus, cui ipse à me aliquid præfigi voluit, non

sum

ſum veritus de alieno eſſe liberalis, & hunc ipſum Libellum Scholis veſtrarum Generoſitatum mittere & commendare, ἐπεὶ οὔτις ἐπίσχεσις, οὐδ' ἐλεητὺς, ἀλλοτρίων χαρίσασθαι, cum præſertim ſit hoc publici commodi cauſa. Nihil enim aliud ſpecto, & ſtudij in hoc mei veſtris Generoſitatibus non ignoti, teſtem allegare poſſum Deum & Conſcientiam. Veſtras autem Generoſitates, quibus, quacunq; modò ratione & via poſſum, gratitudinem animi mei probare enitor, humiliter rogo, ſtudium vt ſibi meum non ſinant non placere, ſed & προαίρεσιν meam, huiusq; cauſam & finem conſiderando approbent, &, quod bene ceperunt, in Eccleſijs & Scholis, Deo iuuante, continuent: qua in re etiam abſens quidquid præſtare potero, veſtris Generoſitatibus nunquam me defuturum ſanctè policeor, ita, vt ſi opus ſit, etiam porrò præſentiam mei non planè ſubtracturus ſim Eccleſijs & Scholis ad eam formam, quæ ex ſacris Biblijs collecta & comprehenſa eſt ſcriptis LVTHERI & PHILIPPI,

PI, & cuius tanquam Epitome in Scholis vſurpanda hic ipſe eſt Libellus.

Veſtras Generoſitates CHRISTO EMANVELI Omnipotenti & veraci commendo regendas & tegendas. Lipſiæ XXVII. Maij, Anno M. D. LXXIIII.

1. 2. 3. 6.

Veſtrarum Generoſitatum


Seruus

Nicolaus Selneccerus D.

AVGVSTANÆ CONFESSIONIS BREVIS COMPREHENSIO

memoriæ & ſummæ cauſa ad iuuentutis captum accommodata.

Quid eſt Auguſtana Confeßio?



Vguſtana Confeſſio, quam in Eccleſijs & Scholis noſtris omnes pio conſenſu amplectimur, eſt Complexio Articulorum Chriſtianæ Fidei,& mutatorum abuſuum,qui erant tetri errores,& Idolorum cultus: à Principibus & Gubernatoribus,quorum nomina ſubſcripta ei ſunt, Imperatori Carolo Quinto exhibita, in Comitijs, Auguſtæ, Anno triceſimo, Menſe Iunio, die 25. exponens ſummam doctrinæ Euangelicæ,tra-

cæ, traditæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, neceſſariam Eccleſijs.

Quæ forma Confeßionis (verè Auguſtæ) deinde explicatius declarata eſt, propter calumnias & Sophiſticas eluſiones Aduerſariorum, VVormaciæ Anno X L. (quod vt ſciatur, multum lucis affert legenti vtraſq; editiones integras) atq; hæc omnia ſtudio & induſtria Philippi Melanchthonis, qui Apologiam quoq; Confeßionis doctè & perſpicuè concinnauit.

Quomodo diſcernuntur Articuli Confeßionis?

Dupliciter: Priores dicuntur Articuli Fidei præcipui, ſuntq; viginti & vnus: Poſteriores verò de Abuſibus, qui in externis ritibus mutati ſunt, numerantur ſeptem.

Recita Articulos Fidei Chriſtianæ XXI. præcipuos ordine?

¶ PRIMVS, DE DEO, ET TRIBVS PERSONIS ÆTERNIS.

Vna eſt Eſſentia diuina, quæ & appellatur & eſt Deus, Creator & conſeruator omnium rerum, viſibilium & inuiſibilium, & tamen tres ſunt diſtinctæ Perſonæ,

eiuſdem eſſentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Et nomine Perſonæ vtimur, vt ſignificet non partem aut qualitatem in alio, ſed quod propriè ſubſiſtit.

Damnantur omnes hæreſes contra hunc Articulum exortæ, vt Manichæi, Valentiniani, Ariani, Eunomiani, Mahometiſtæ, Samoſateni veteres, & Neoterici.

¶*SECVNDVS, DE PECCATO ORIGINIS HOMINVM.

Poſt lapſum Adæ omnes homines ſecundum naturam propagati, naſcuntur cum Peccato, & habent peccatum originis, videlicet reatum propter Adæ lapſum, & ipſam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam, quæ complectitur defectum Iuſtitiæ originalis, & concupiſcentiam. Hic morbus eſt verè peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renaſcuntur per Baptiſmum & Spiritum ſanctum.

Damnantur Pelagiani, & qui negant vitium originis eſſe Peccatum.

TER-

❡TERTIVS, DE DVABVS NATVRIS IN CHRISTO, ET BENEFICIIS CHRISTI.

VERBVM, hoc eſt, Filius DEI, aſſumſit humanam naturam, in vtero beatæ Virginis Mariæ, vt ſint duæ naturæ, Diuina & humana in vnitate Perſonæ inſeparabiliter cõiunctæ, vnus CHRISTVS verè Deus & verè Homo, natus ex Virgine, verè paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, vt reconciliaret nobis Patrem, & Hoſtia eſſet, non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem deſcendit ad inferos, & verè reſurrexit tertia die, Deinde aſcendit ad cœlos, vt ſedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet, & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu ſancto, & ſanctificatis det vitam æternam. Idem Chriſtus palàm eſt rediturus, vt iudicet viuos & mortuos.

❡QVARTVS, DE IVSTIFICATIONE HOMINVM.

Homines non poſſunt iuſtificari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus: Sed Gratis iuſtificantur, pro-

pter Christum, per FIDEM, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte, pro nostris peccatis satisfecit. Hanc Fidem imputat Deus pro iusticia coram ipso.

Plura de Fide infra in X X. Articulo.

*QVINTVS, QVOMODO FIDES CONTINGAT.

Vt Fidem consequamur, institutum est Ministerium docendi Euangelij, & administrandi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui Fidem efficit in ijs, qui audiunt Euangelium, vbi & quando visum est Deo. Cum Euangelium audimus, aut Sacramenta tractamus, & Fide nos consolamur, simul est efficax Spiritus sanctus.

Damnantur hic Anabaptistæ, Manichæi, Enthusiastæ, & Scholasticorum dubitatio.

*SEXTVS, DE FRVCTIBVS FIDEI.

Boni fructus debent sequi Fidem, & oportet bona opera mandata à DEO facere, propter voluntatem DEI, non vt confidamus per ea opera iustificationem

coram

coram Deo mereri. Nam remiſsio peccatorum & iuſtificatio Fide apprehenditur. Placet autem hæc obœdientia, non quia legi ſatisfacit, ſed quia Perſona eſt in Chriſto recõciliata Fide, & credit ſibi reliquias peccati condonari. Non enim poteſt conſcientia opponere iudicio DEI propriam mundiciem, aut opera.

* SEPTIMVS, QVID DE ECCLESIA SENTIENDVM SIT.

Vna ſancta Eccleſia perpetuò manſura eſt. Eſt autem Eccleſia congregatio membrorum Chriſti, hoc eſt, Sanctorum, in qua Euangelium rectè docetur, & rectè adminiſtrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Eccleſiæ ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt, eſſe vbiq; ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus aut Ceremonias ab hominibus inſtitutas.

¶ OCTAVVS, DE HYPOCRITIS IN ECCLESIA ET MINISTERIO MALORVM.

ECCLESIA propriè eſt congregatio Sanctorum, & verè credentium, in hac

tamen vita multi mali & hypocritæ admiſti ſunt Eccleſiæ. Et licet vti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, & Sacramenta & Verbum DEI, propter ordinationem & mandatum CHRISTI ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.

Damnantur Donatiſtæ & ſimiles.

¶ IX. DE BAPTISMO.

BAPTISMVS eſt neceſſarius ad ſalutem, & per Baptiſmum offertur gratia Dei. Sunt etiam Infantes baptizandi, qui per Baptiſmum DEO commendati, & oblati, recipiuntur in gratiam DEI, & fiunt Filij Dei.

Damnantur Anabaptiſtæ.

¶ X. DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN COENA.

Corpus & Sanguis Chriſti verè aſſunt, & exhibentur cum pane & vino, veſcentibus in Cœna DOMINI, & improbantur ſecus docentes.

¶ * XI. DE CONFESSIONE ET ABSOLVTIONE PRIVATA.

Abſolutio priuata in Eccleſijs retinenda eſt, quanquam in Confeſsione non ſit neceſſa-

necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis.

¶* XII. DE POENITENTIA.

Lapsis post Baptismum contingere potest remissio peccatorum, quocunque tempore & quotiescunque conuertuntur. Et Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam impertire Absolutionem debet. Constat autem Pœnitentia propriè his duabus partibus. Altera est Contritio, hoc est, terrores incussi conscientiæ, agnito peccato & ira Dei. Altera est Fides, quæ concipitur ex Euangelio seu Absolutione, & credit propter Christum certò remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Inde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus Pœnitentiæ, hoc est, obœdientia erga Deum.

Damnantur hoc Articulo Anabaptistæ, Nouatiani, & Canonicæ satisfactiones. Item, qui docent perfectionem in hac vita contingere.

¶* XIII. DE VSV SACRAMENTORVM.

Sacramenta instituta sunt, non modò vt sint notæ professionis inter homines, sed multo magis, vt sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam

dam & confirmandam Fidem in his, qui vtuntur eis. Itaq; vtendum est Sacramentis ita, vt fides accedat, quæ credat promissionibus, per Sacramenta exhibitis & ostensis.

(Apologia) *Verè Sacramenta sunt Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ. Damnatur Pharisaica opinio de iustificatione ex opere operato.*

¶* XIIII. DE ORDINE ECCLESIASTICO.

Nemo debet in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.

¶* XV. DE RITIBVS ECCLESIASTICIS.

Ritus illi seruandi sunt, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, ita tamen, ne conscientiæ onerentur superstitiosis opinionibus, tales cultus ad salutem necessarios esse. Quare vota & traditiones de cibis & diebus, &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis inutiles sunt, & aduersantur Euangelio.

DE

¶ XVI. DE REBVS CIVILIBVS.

Legitimæ ordinationes ciuiles, sunt bona opera & ordinationes Dei. Et Christianis licet gerere Magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs, & alijs præsentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, legē cōtrahere, tenere proprium, iusiurandum postulantibus Magistratibus dare, contrahere legitima Coniugia, artes probatas Legibus exercere, & in talibus ordinationibus exercere Caritatem. Itaq; necessariò debent Christiani obœdire præsentibus Magistratibus & Legibus, nisi cum iubent peccare, tunc enim magis debent DEO obœdire, quàm Hominibus.

Damnantur Anabaptistæ & Anachoretæ.

¶ XVII. DE EXTREMO DIE MVNDI.

CHRISTVS apparebit in consummatione mundi, ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, & hominibus pijs & electis dabit vitam æternam, & gaudia perpetua. Impios autem homines, & diabolos condemnabit, vt sine fine crucientur. Nec ante resurrectionem mortuo-

rum pij regnum mundi occupaturi sunt, vbiq; oppreßis impijs.

Damnantur hic quoq; Anabaptistæ, Iudaicæ opiniones, & Origenistæ.

*¶ XVIII. DE LIBERO ARBITRIO.

Humana voluntas habet aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iustitiam, & deligendas res rationi subiectas, sed non habet vim, sine Spiritu sancto efficiendæ iusticiæ Dei, seu spiritualis, quæ fit in cordibus, cum per Verbum Spiritus sanctus concipitur, & cum verbo Dei assentimur, vt nos Fide in terroribus consolemur. Quanquam enim externa opera, humana natura aliquo modo poßit efficere: tamen interiores motus non potest efficere, nisi Spiritus sanctus gubernet & adiuuet corda nostra.

Damnantur Pelagiani & similes.

¶ XIX. DE CAVSSA PECCATI.

Etsi DEVS creat & conseruat naturam: tamen caussa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum hominum, quæ auertit sese à DEO, ad alias res contra mandata Dei.

DE

XX. DE DOCTRINA FIDEI ET OPERVM.

Debet in Ecclesia extare vtraque doctrina, videlicet Euangelium de Fide, ad erudiendas & consolandas conscientias: debet etiam proponi, quæ sint verè Bona opera, qui sint veri cultus DEI. PRIMVM igitur de Fide & Iustificatione CHRISTVS aptè complexus est summam EVANGELII, cum iubet prædicari in nomine suo Pœnitentiam & Remissionem peccatorum, nam prædicatio Pœnitentiæ arguit Peccata, & Euangelium offert remissionem peccatorum propter Christum Gratis, non propter nostram dignitatem. Et sicut vniuersalis est Pœnitentiæ prædicatio, ita & promissio Gratiæ vniuersalis est, & omnes credere iubet, & accipere beneficium CHRISTI. Opera nostra non possunt reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, & gratiam & iustificationem. Sed hanc tantùm Fide consequimur, credentes, quòd propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus constitutus est mediator & Propiciator.

Cum igitur dicimus, Fide iustificamur, non hoc intelligimus, quòd iusti simus propter ipsius virtutis dignitatem,

Sed hæc est sententia, Consequi nos remissionem peccatorum, & imputationem iustitiæ, per misericordiam propter Christum, hæc misericordia non potest accipi, nisi FIDE. Et Fides hîc non tantum significat historiæ noticiam, sed significat credere promissioni misericordię, quæ nobis propter Mediatorem CHRISTVM contingit. Hæc Fides non tantum historiam credit, sed etiam effectum historiæ. Iustificatio verò significat remissionem peccatorum, seu reconciliationem, seu imputationem iusticiæ, hoc est, acceptationem Personæ. Præterea necesse est Bona opera facere, non vt confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum Fide apprehenditur remissio peccatorum, & pax conscientiæ. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, iam corda renouantur, & induunt nouos affectus, vt parere bona opera possint. Nam sine Fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi Præcepti opera facere. Necessaria verò est in reconciliatis obedientia erga Legem DEI, nam Euangelium concionatur de noua vita. Nec existere Fides potest, nisi in his qui pœnitentiam agunt &c.

DE

XXI. DE VENERATIONE SEV CVLTV SANCTORVM.

Memoria Sanctorum proponi poteſt, vt imitemur Fidem & bona opera eorum, iuxta vocationem, Fidem noſtram confirmemus, Deo gratias agamus, quòd Eccleſiam pulcerrimis donis ac virtutibus Sanctorum ornauerit, ſed ſcriptura non docet inuocare Sanctos, ſeu petere auxilium à Sanctis, quia vnum CHRISTVM nobis proponit, Mediatorem, Propiciatorem, Pontificem & Interceſſorem. Hic inuocandus eſt, & promiſit ſe exauditurum eſſe preces noſtras, hunc etiam cultum maximè probat, vt inuocetur in omnibus afflictionibus.

Hæc ſumma doctrinæ nititur authoritate verbi DEI & veteris Eccleſiæ, cuius Finis eſt, vt gloria DEI fiat illuſtrior, & conſulatur pijs mentibus in vniuerſa Eccleſia.

ALTE-

ALTERA PARS CONFESSIONIS FIDEI, DE ARTICVLIS, IN QVIBVS RECENSENTVR ABVSVS MVTATI.

RECENSE ARTICVLOS SEptem, in quibus abusus vitio temporum in Ecclesias introducti notantur, quid in externis ritibus seruetur, & quid qua de caussa mutatum sit.

Recitabo (eo ordine, quem etiam Apologia obseruat) genera ipsa summatim tantum.

*ARTICVLVS DE VTRAQVE SPECIE SACRAMENTI CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI.

Laicis datur vtraq; pars Sacramenti in Cœna Domini, quæ instituta est pro tota Ecclesia, quia hic mos habet mandatum Domini, & manifestè præcipit Christus de Poculo, vt OMNES bibant. Diu etiam hic

hic mos in Ecclesia mansit, nec constat quando aut quo authore mutatus sit. Tantum consuetudo non ita vetus adimit populo alteram partem Sacramènti, quæ processio apud nos solet omitti.

ARGVMENTVM CONFIRMANS HVNC ARTICVLVM.

Consuetudo contra mandata Dei introducta, non est probanda.

Consuetudo mutilata Cœna non solùm contra scripturam, sed etiam contra authoritatem Canonum, & exemplum veteris Ecclesiæ recepta est.

Quare si qui malunt vtraq; specie Sacramenti vti, non sunt cogendi, vt aliter faciant, cum offensione conscientiæ, nec prohibendus est vsus integri Sacramenti.

*ARTICVLVS DE CONIVGIO SACERDOTVM.

Sacerdotes apud nos, cum publica scandala vitare vellent, quæ parit Pontificia Lex de Cœlibatu, duxerunt vxores, & docent, quòd liceat ipsis contrahere matrimonium, & debere omnes, qui non sunt idonei ad Cœlibatum (iuxta doctrinam Pauli & Christi) viuere in Coniugio,

quod

quod DEVS instituit, vt esset remedium humanæ infirmitatis, & præcepit honore afficere Coniugium.

CONFIRMATIO.

Mandatum Dei nulla lex humana, nullum votum tollere potest, nec vlla debet esse authoritas Decreti pugnantis cum iure naturali, & cum ordinatione diuina.

Noua Lex, quæ prohibet Sacerdotibus Coniugia, & contracta distrahit, pugnat cum mandato Dei, pugnat cu[illegible] iure naturæ, qua homines ita conditi sunt, vt sint fœcundi, & impurus Cœlibatus plurima parit scandala, contra exempla veteris Ecclesiæ: Atq; defensio Legis Pontificiæ multa peccata coniuncta habet, confirmationem vagarum libidinum, superstitiones & neces piorum Sacerdotum.

Ergo manifestum est nostras Ecclesias rectè facere, quòd illam Legem Pontificiam abolent & damnant, & quod Sacerdotes honesta Coniugia contrahunt. Nec decet authoritatem Ecclesiæ prætexere omnibus abusibus & vitijs inuectis in Ecclesiam. Estq; Imperatoris Legis vitia considerare, & depellere iniurias contra Sacerdotes.

* ARTICVLVS DE MISSA.

Retinetur Missa (*id est, administratio Cœnæ Dominicæ*) apud nos, & summa reuerentia

tia celebratur. Seruantur & vſitatæ Ceremoniæ, admiſcentur autem latinis Cantionibus alicubi germanicæ, adduntur & Conciones piæ ad erudiẽdum populum. Aſſueſit populus, vt vnà vtantur Sacramento, ſi qui ſunt idonei. Nulli admittuntur, niſi prius explorati. Et geruntur omnia in Eccleſia maiore cum grauitate & reuerentia, quàm olim. Sed deſierunt priuatæ Miſſæ, cùm ferè nullæ, niſi quæſtus cauſſa fierent. Et docetur, opinionem de merito, ſacrificio & applicatione Miſſæ falſam & impiam eſſe, nec eam conferre gratiam ex opere operato, nec applicari pro alijs viuis & mortuis, aut mereri remiſsionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Prodeſſe verò Sacramentum his tantum, qui agunt Pœnitentiam, & propria cuiuſque Fide, & proprio vſu Sacramenti fieri applicationem beneficij Chriſti, non propter alienum opus.

CONFIRMATIONES.

1. *Paſsio Chriſti fuit oblatio & ſatisfactio, non ſolum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus reliquis peccatis.*

Ergo impium eſt fiduciam transferre in opus ſacerdotis, quæ niti debet ipſa Pontificis Chriſti oblatione & intercesſione.

Item

Item:

II. *Institutio Cœnæ non mandat, vt offerant Sacerdotes pro alijs viuis ac mortuis.*

Ergo

Applicatio Cœnæ ad mortuos, damnanda est tanquam nouus & impius cultus.

Item.

III. *Ceremonia sine Fide in nouo Testamento nihil meretur, nec facienti, nec alijs:*

Ergo

Missa non meretur remissionem culpæ & pœnæ ex opere operato, nec est satisfactio.

Item.

IIII. *Fide propria & speciali tantum fit applicatio beneficij Christi, & consequuntur homines remissionem peccatorum Gratis.*

Ergo

Non alieno opere, neq; propter alienum opus, & quidem sine bono motu vtentis.

Item.

V. *Institutio Sacramenti nihil de oblatione pro peccatis viuorum & mortuorum præcipit, sed præcipitur, vt sumantur Corpus & Sanguis DOMINI, & vt id fiat ad recordationem beneficij CHRISTI, præterea institutio ordinat, vt fiat communicatio, hoc est, vt ministri porrigant etiam alijs Corpus & sanguinem DOMINI.*

Cum

Cum autem MISSA sit talis communicatio Sacramenti,

Seruatur igitur apud nos talis communis Missa singulis Ferijs, atq; alijs etiam diebus, si qui velint vti Sacramento.

* ARTICVLVS DE VSV CONFESSIONIS.

Confeſsio in Eccleſijs non aboletur, nec porrigitur Sacramentum, niſi abſolutis & exploratis antea, vt homines Abſolutionem plurimi faciant, quæ eſt vox Dei, & mandato Dei pronunciatur, vt abſolutioni tanquam voci de cœlo ſonanti, credamus. Porrò Confeſsio præbet locum impertiendæ Abſolutioni priuatim, & ritus conſeruat intellectum poteſtatis Clauium, & remiſsionis peccatorum in populo. Atq; illud Colloquium magnopere etiam prodeſt ad monendos & erudiendos homines: Sed enumeratio delictorum non eſt neceſſaria, nec ſunt onerandæ conſcientiæ cura enumerandi omnia delicta in Confeſsione. Multò minus conſcientiæ excruciandæ ſunt Satisfactionibus Canonicis, quæ obſcurant beneficium Chriſti.

ARGVMENTVM.

Impossibile est omnia delicta recitare, & nullum extat in scripturis Apostolicis Praeceptum de hac enumeratione, Ac nunquam possent acquiescere mentes, si nulla peccata, nisi recitata, remitterentur.

Quae ex re facilè intelligi potest, ministerium Absolutionis & Remissionem, non pendere ex conditione enumerationis.

* ARTICVLVS V. DE DISCRIMINE CIBORVM, ET TRADITIONIBVS PONTIFICIIS.

Obseruationes traditionum humanarum non possunt mereri remissionem peccatorum, ac iustificationem, nec sunt iustitia Christiana aut necessarij cultus, & sua natura sunt res mediae & indifferentes, quae extra casum scandali omitti possunt: Quae verò pugnant cum mandatis Dei, aut non possunt obseruari sine peccato, in ijs regula sequenda est, Oportet DEO magis oboedire, quàm hominibus. Tales sunt discrimina Ciborum, & traditiones, quae certos dies, certos cibos praescribũt, & similia opera, de quibus Ecclesiasticae traditiones praecipiunt, cultus esse DEI, qui

qui mereantur remißionem peccatorum. Item esse iustitiam Christianam, & necessarios esse, sicut in veteri Testamento Leuiticæ Ceremoniæ fuerunt, nec posse sine peccato omitti. Talis & est traditio de Cœlibatu contra mandatum Dei.

Seruantur tamen traditiones pleræque, quæ conducunt ad hoc, vt res ordinè gerantur in Ecclesia, cuiusmodi sunt traditiones de Ferijs, die Dominico, Natali, Paschate, et reliquis. Item ordo lectionum.

ARGVMENTVM.

Euangelium cogit vrgere doctrinam in Ecclesijs, de Gratia & iustitia Fidei.

Persuasiones de traditionibus, quòd sint cultus Dei, & iustitia Christiana, Primò obscurant doctrinam de gratia & iustitia Fidei, Secundò, obscurarunt Præcepta Dei, quibus longè præferebantur, Tertiò, attulerunt magna pericula conscientijs.

Quare non est sentiendum, quòd huiusmodi obseruationes sint neceßarij cultus, aut mereantur remißionem peccatorum.

* ARTICVLVS VI. DE VOTIS MONASTICIS.

Vota non possunt ordinationem & mandatum Dei tollere, sed debet votum esse in re posibili, debet esse voluntarium, spontè & consultò susceptum. Non autem Vota sunt paria Baptismo. Nec ipsa etiam vita Monastica meretur remissionem peccatorum, nec est status perfectionis, nec habet opera supererogationis. Falsissimum præterea est, quod addunt, Vitam Monasticam non tantum iusticiam mereri coram DEO, sed amplius etiam, quia seruaret non modò præcepta, sed etiam consilia Euangelica.

ARGVMENTVM.

Omnis cultus ab hominibus sine mandato Dei institutus, & electus ad promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, est impius:

Constat autem Monachos docuisse, quod factitiæ Religiones mereantur remissionem peccatorum & iustificationem, & quòd pro peccatis satisfaciant, quod est de gloria Christi detrahere:

Sequitur igitur ista vota impios cultus fuisse, quare sunt irrita.

ALIVD.

Votum

Votum impium & factum contra mandata Dei non valet, neq; enim debet Votum vinculum esse iniquitatis.

Multa impia opiniones hærent in Votis, quòd mereantur remißionem peccatorum & iustificationem, quòd sint perfectio Christiana, quòd seruent consilia & præcepta, quòd habeant opera supererogationis, Ergo Vota Monastices sunt irrita.

*VII. ARTICVLVS DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Discrimen est Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij. Potestas Clauium, seu potestas Episcoporum iuxta Euangelium, est potestas seu mandatum Dei prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta: Sed politica administratio versatur circa alias res, defendit corpora, & res corporales aduersus manifestas iniurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, vt iusticiam ciuilem & pacem retineat. Non igitur commiscendæ sunt potestates, Ecclesiastica & Ciuilis. Si quam Episcopi habent potestatem gladij, hanc non habent, vt Episcopi ex mandato Euangelij,

angelij, sed iure humano donatam à regibus, ad administrationem ciuilem suorū bonorum. De iure diuino nulla Iurisdictio competit Episcopis, vt Episcopis, nisi remittere peccata, Item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios non vi humana, sed Verbo excludere à communione Ecclesiæ, Potestatem vel Iurisdictionem in cognoscendis certis causis matrimonij, aut decimarum, habent iure humano. Nec habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium, neq; in ritibus & cultū, neq; in ordinationibus, tanquam necessarijs ad promerendam remissionem peccatorum; vel tanquam necessarijs ad iustitiam noui Testamenti, aut ad salutem.

CONFIRMATIO.

Necesse est in Ecclesijs retineri doctrinam de Libertate Christiana, quòd non sit necessaria seruitus Legis ad iustificationem, Et necesse est retineri præcipuum Locum Euangelij, quòd remissionem peccatorum & iustificationem per Fidem in CHRISTVM *Gratis consequamur, non propter certas obseruationes, aut propter cultus ab hominibus institutos:*

Ergo

Ergo non licet vllis Episcopis tales cultus institue-re aut exigere, pugnantes cum Euangelio, & prudenter de illis Vallis Pontificia potentia iudicandum est.

Orandus autem est DEVS Pater Domini nostri IESV CHRISTI, vt ipse Ecclesiam suam, Sanguine Filij redemtam gubernet, seruet, purget & augeat.

Τῷ Θεῷ μόνῳ σοφῷ δόξα καὶ εὐλογία.



*Articulos approbatos & receptos ab authoribus confutationis scripta tempore Comitiorum Augustæ, tali signo ¶, Improbatos verò asterisco tali *, in hac Epitome nostra signauimus. In quibus igitur partem tantum probárunt Pontificij, addita vel correctione, vel conditione, vel damnatione alterius membri seu partis, signis vtrisque ad titulos additis, notauimus.*

PARAPHRASIS SYMBOLI APOSTOLICI, Seu CONFESSIO FIDEI, ECCLESIÆ IOACHIMICÆ IBERORVM, IN LATINAM LINGVAM CONVERSA,

ab

ALBERTO LYTTICHIO EX Scriptis D. Mathesij Theologi.

Articvlvs Primvs.

Credo, & animo meo planè obfirmato ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis omnem fiduciam & expectationem poſitam habeo, in ſolum Devm, qui eſt æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & mundum vniuerſum tanquam Pater genuinos Filios, amore complectitur, ſolus Potens cum Filio ſuo & Spiritu ſancto, & in omnibus difficultatibus, tàm iumentorum, quàm homi-

hominum, ſine medijs & per ea, opitulator, ac omnium bonorum perfector & elargitor. Qui in principio per Filium & Spiritum ſuum, cœlum, terram & omnes res viſibiles & inuiſibiles creauit, & Coniugium venerabile omnibus non ineptis adhoc inſtituit, atq; Magiſtratum etiam conſtituit, & adhuc res creatas à ſe, & ordines ſacros in humano genere, vſq; ad nouiſsimum mundi diem conſeruat.

SECVNDVS ARTICVLVS.

CRedo etiam firmiſsimè, nihil addubitans, ſed conſtanter nitens Prophetarum & Apoſtolorum teſtimonijs, & Symbolis tribus præcipuis, in IESVM CHRISTVM Vnigenitum, verum, naturalem & proprium Filium Dei, ex ſubſtantia Patris genitum ab æterno, & quidem verè coëſſentialem cum Patre, miſſum ex ſinu Patris, vt nobis veram notitiam, decretum & voluntatem Dei patefaceret. Qui tandem in plenitudine temporis, obumbrante Spiritu ſancto, in caſtiſsima aluo intactæ virginis Mariæ, ex ſanctificato, in ea, ſanguine, propter nos caro factus eſt, & humanam naturam ad ſuam diuinam aſſumſit, in vnam æternam

&indiuiduam perſonam, vt ita humanum genus in ſuo corpore geſtaret & ſuſtentaret, atque in æternum ſaluaret & ſoſpitaret.

TERTIVS ARTICVLVS.

Toto ſimul pectore credo, & ore confiteor cum Eccleſia vniuerſa, Hunc Filium Dei & Mariæ, verum Deum & hominem, vnicum noſtrum Dominum, ſummum Sacerdotem, Mediatorem, Interceſſorem, Redemtorem & Saluatorem eſſe, qui ab æterno ad hoc Sacerdotium, & hanc regalem dignitatem occupandā cretus & delectus eſt, vt qui ſit primogenitus ante omnes creaturas, ſicut ille quidem quantum ad diuinam ſuam naturam & ſubſiſtentiam, pro genere humano apud Patrem interceſſit, & cum Patribus primis locutus eſt, ſuamq; Eccleſiam & omnes qui eum in promiſsione edita agnouerunt, & Fide apprehenderunt, ab initio in gratiam reduxit, eripuit & protexit, ac poſtea tempore incarnationis ſuæ fuit & permanſit, Mediator & Saluator noſter, ſecundum vtramq; naturam.

QVARTVS ARTICVLVS.

CRedo item, & in hac mortali vita, summam consolationem, viuificationem & iustificationis meæ certitudi, nem inde haurio, quod etiã coram Deo= & aduersus iram eius mihi valere scio, Hunc Dominum & Deum meum, tempore humiliationis, à prima ætate, & in toto cursu Ministerij sui, multa passum esse in carne sua, propter me, & sub Cæsaris Tiberij Prouinciali præfecto Pontio Pilato, Ierusolymis in crucem actum, & medium inter duos latrones Spiritum tradidisse, mortuum esse, & honorificè sepultum, vt sua perfecta obœdientia, & vnica oblatione & pasione innocenti, preciosissimiq; cruoris effusione nos egentissimos, miserrimos, maximos, perditissimos & abiectissimos peccatores cũ Deo reconciliaret, & maledictionem quæ ob Adæ, & nostram peculiarem culpam in nos deriuata erat, auerteret, & sanguine suo ab omni immundicie originali & actuali emundaret, iustos & saluos nos faceret.

QVINTVS ARTICVLVS.

Credo

CRedo præterea & certus ſum, Ieſum Chriſtum (vt ſcriptura loquitur) pro me verè deſcendiſſe ad inferos, & tertia die (quoniam eſſet verus DEVS) corpore ſuo incorruptibili ex morte reſurrexiſſe, vt mortem in ſua victoria abſorberet, & infernum mihi deſtrueret, Diabolum deuinceret, mihiq; æternam pacem, iuſtitiam & vitam nouam cum adoptione in hæreditatem diuinam repperiret, ſuo merito, & hæc in verbo promiſsionis gratiæ & Fidei annuncianda curaret.

SEXTVS ARTICVLVS.

FIrmiter ſtatuo Ieſum Chriſtum, in vtraq; natura, cum corpore clarificato & ſpirituali, ad cœlum aſcendiſſe, & omnia impleuiſſe, vbiq; præſentem eſſe, regere & imperare ad dextram Patris ſui, æquali maieſtate & gloria, in cœlo, inferno & terra, atq; colligere ſibi voce Legis & Euangelij, ex genere humano, æternam Eccleſiam, quam ipſam aſsiduè tanquam membra ſui corporis myſtici, & Sponſam dilectam aſſerit, preces eius pro diuina ſua potentia ipſe exaudit, illius cauſſam agit, & deprecatur pro ea, apud cœleſtem Patrem, verus & æternus Sacer-

dos, protegit & conseruat eam, in terra, sub cruce, & in omnibus anxietatibus. Distribuit dona salutaria, suum Spiritum & Verbum, circumspectos & fideles doctores, vsq; ad consummationem seculi, quando in nubibus visibiliter apparebit, & sese manifestabit, iudicaturus viuentes vsq; ad extremum diem, & ex sepulchris prodeuntes, vindicaturus maleficia in omnes contemtores Euangelij, & in æternum regnum introducturus omnes, qui ipsi confisi sunt, eum inuocauerunt, atq; in Fide & bona conscientia ad finem perseuerauerunt.

SEPTIMVS ARTICVLVS.

CRedo simul, vt in mea infantia prima rectè hoc nomine baptizatus sum, in Dominum, qui est Spiritus sanctus, verus DEVS, & essentialis flamma, amor & laeticia, procedens ab æterno Patre & Filio, & missus in hunc mundum, vt sit altera persona missa, quæ testificetur in cordibus nostris, nobis Deum esse placatum, per vnicum nostrum Mediatorem, & vt mundum arguat verbo, solatium, tranquillitatem, læticiam, dilectionem, vitam & nouam obœdientiam in credentibus sonet

ſonet & excitet, & nobis in aduerſitati-
bus & imbecillitate adſit, nos erigat, pios
gemitus & ſuſpiria adiuuet.

OCTAVVS ARTICVLVS.

STatuo inſuper, Deum per Spiritum Fi-
lij ſui colligere ſibi ſanctam, vniuerſa-
lem, Chriſtianam & Apoſtolicam Eccleſi-
am, Miniſterio Euangelij ex Patriarchis,
Iudæis & Gentibus, in omnibus terræ fi-
nibus, quæ ſit ei æterna hæreditas & pro-
prietarium. Hic cœtus ſanguine Filij Dei
eſt redemtus, voce ſonante Euangelium
congregatus, & circumciſione primum,
deinde in Nouo Teſtamento per Baptiſ-
mum ſuo Domino Chriſto, & populo ſan-
cto Dei inſertus, & in verbo & lauacro re-
generationis Spiritus ſancti emundatus,
Prophetarum & Apoſtolorum fundamẽ-
to extructus, vt ſit æternum templum, &
domicilium diuinum, in quo Spiritus ſã-
ctus efficax eſt, per Verbum & Sacramen-
ta, Filius Dei vere præſens, non ocioſus,
paſcit & potat ſibi cohærentes in verá cõ-
uerſione, contritione, Fide & bono pro-
poſito rectè faciendi, non alieno, ſed ſuo
ipſius ſanguine, & vera carne, obſignans
& inungens eos, diuina vnctione Spiri-
tus ſancti.

NONVS

NONVS ARTICVLVS.

ET in Sanctorum cōmunione, ac Christianorum fraternitate, quæ Filij Dei vocem audit, & Euangelium profitetur, ac retinet verum vſum Sacramentorum, ſub cruce, in tolerantia, Credo, ſalutarem eſſe Baptiſmatis, Abſolutionis & Cœnæ Dominicæ adminiſtrationem & ſumtionem, diſpenſantibus ijs, qui legitimo modo, facta impoſitione manuum & oratione cōmunis Eccleſiæ, ad Miniſterium publicum ſunt vocati, & quaſi ſegregati ex toto cœtu. Sicut certum & hoc eſt, quòd Filius Dei ſuæ Reipub. ciuibus, quamuis corpora & facultates poteſtati ordinariæ in hac vita ſubiaceant: tamen æternam & ſpiritualem libertatem ac immunitatem impertiat, qua cum à Moſaicis Ceremonijs, & iugo Forenſi, tum etiam quod ad interiores motus à maledicto & damnatione ipſius Legis ac carcere diaboli ſunt liberi, atque ſimul ab omnibus humanis traditionibus, quibus conſcientiæ implicantur, & Eccleſiæ onerantur cum opinione cultus diuini, neceſſarij ad ſalutem & remiſsionem culpæ conſequendam. Interim tamen Eccleſia hanc poteſtatem habet, vt Ceremonias cum nullo Periculo coniunctas, ratione ordinis & decoris

honeſti

honesti, ita ne grauentur conscientiæ, & extra casum scandali possit introducere vel retinere.

Decimvs Articvlvs.

Nihil dubito prorsus, quin pro potestate Clauium, concessa à Filio Dei suæ Ecclesiæ dilectæ, propter vnicum & consummatum sacrificium, satisfactionem & lytrum veri agni cœlestis, remissio omnium originalium & actualium delictorum accipiatur, ex mera gratia, gratis, tantum propter Mediatoris Iesv Christi sanguinem, meritum, obœdientiam, & intercessionem, per Fidem, hoc est, Credo me iustum & saluatum esse, & accipere iusticiam imputatam, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, pacem, læticiam & vitam æternam, sola Fide apprehendente Dominum nostrum Iesum Christum, hostiam & precium pro peccatis, non propter vllam propriam dignitatem, præstantiam & merita meorum, aut vllorum aliorum operum, virtutum, obœdientiæ, paupertatis & iustitiæ: Quamuis omnes renati sunt obligati ad nouitatē vitæ, & progressus faciendos in bonorum operum exercitijs, iuxta præscriptum Dei, in Decem præceptis

expofi-

expositum. Nam qui labitur contra conscientiam, illum contristare & excutere Spiritum sanctum manifestum est, & qui non diligit, nec bonis operibus exercetur manet in morte, & Christianus esse non potest.

XI. & XII. ARTICVLI.

SPero etiam & certò scio, futuram resuscitationem mortuorum, meq; visurum Dominum meum Iesum, carne mea indutum in gloria & maiestate, ad diem nouissimum, & possessurum eo ipso tempore æternam & cœlestem vitam, in qua conformis ero ipsi Iesu Christo, plenitudine perfectæ sapientiæ, iusticiæ, gloriæ, & æternæ læticiæ, tam corpore, quàm anima & spiritu, quæ imago Dei tantum in hac vita mortali inchoatur, & de die in diem, de claritate in claritatem, transformabitur.

EPIPHONEMA.

AMEN, Hæc sunt certò & indubitanter verissima, tàm quàm DEVS ipse est veritas, & Verbum eius infallibile, & quàm verè baptizatus, & de sententia Filij DEI, per Ecclesiæ ministrum Absolutione priuata confirmatus, atq; Christi

corpore ac ſanguine paſtus & potus ſum, ſigilloq; Spiritus Dei in corde meo obſignatus & præmunitus, quantumq; teſtimonium meæ conſcientiæ ſenſibili modo in penetralibus pectoris Fide firmati adſtipulatur. Amen. Domine IESV credò, tu meam Fidem imbecillam auge, & corrobora.

EIVSDEM SYMBOLI APOSTOLICI EX VETERI ET NOVO TESTAMENTO confirmatio & fundamenta.

	V.	N.
Credò	*Abac. 2.*	*Rom. 4.*
in DEVM	*Deut. 6.*	*Ephe. 4.*
Patrem	*Pſal 89.*	*Matth. 7.*
Omnipotentem	*Geneſ. 17.*	*2. Cor. 6.*
creatorem cœli & (terræ,	*Pſal. 33.*	*Matt. 11.*
Et	*Pſal. 2.*	*Iohan. 14.*
in IESVM	*Eſa. 7.*	*Matth. 1.*
Chriſtum	*Pſal. 2.*	*Iohan. 20.*
Filium eius	*Pſal. 2.*	*Luc. 9.*
vnicum	*Zach. 13.*	*Iohan. 1.*
Dominum noſtrum	*Ierem 22.*	*Iohan. 20.*
Qui cóceptus eſt de Spiritu ſancto	*Eſaia 7.*	*Luc. 1.*

Natus

	V.	N.
Natus	*Gen. 3.*	*Ioh. 1.*
ex Maria virgine	*Esaiæ 7.*	*Matth. 1.*
Passus	*Zach. 9.*	*Lucæ 24.*
Sub Pontio Pilato	*Gen. 49.*	*Lucæ 3.*
Crucifixus	*Dan. 9.*	*Ioh. 3.*
Mortuus	*Esaiæ 53.*	*Rom. 4.*
Et sepultus,	*Esaiæ 53.*	*Ioh. 19.*
descendit ad inferna	*Ps.16.Ac.2*	*Ephes.4.*
Tertia die	*Oseæ 6.*	*Matt. 12.*
resurrexit à mortuis	*Esaiæ 53.*	*Luc. 24.*
Ascendit ad cœlos	*Psal.68.*	*Ephes.4.*
sedet ad dextram patris omnipotentis	*Psal. 110.*	*Marc. 16.*
Vnde venturus est	*Esaiæ 66.*	*Actor. 1.*
iudicare	*Esaiæ 66.*	*Actor. 10.*
viuos & mortuos.	*Dan. 12.*	*1.Co. 15.*
Credo in Spiritum sanctum	*Zach. 12.*	*2.Cor.3.*
Sanctam Ecclesiam	*Psal. 16.*	*Ephes.5.*
Catholicam	*Gene.22.*	*Matt.vlt.*
Sanctorum communionem	*Psal. 22.*	*Ioh. 20.*
Remiss.peccatorum	*Psal. 32.*	*Actor. 10.*
carnis resurrectionē	*Esaiæ 26.*	*Ioh. 5.*
& vitam æternam.	*Psal. 17.*	*Ioh. 17.*
Amen.	*Deut. 32.*	*2.Cor. 1.*
	Esaiæ 25.	

TABVLA MORALIS DOMESTICA,

hoc est,

Catalogus Virtutum, iuxta seriem Decalogi ordine distributarum, Excessibus & Defectibus singularum oppositis.

Ad primum Præceptum Decalogi congruunt octo classes obœdientiæ.

De conformitate mentis & cordis cum Deo, de Luce in mente, vera Noticia, & affectibus in corde.

1. Vera notitia & agnitio veri Dei.	*Ignoratio et neglectio Dei. Curiositas perquirendi quæ non sunt reuelata verbo Dei: & Idolomania.*
2. Perfectus Timor Dei, & trepidatio ab ira eius.	*Contemtus iudicij diuini & securitas. Trepidatio vbi non est timor.*
3. Vera Fides seu Fiducia in Deum.	*Dubitatio & diffidentia. Superstitio vana, & idolorum admiratio.*

Vera

4. Vera dilectio Dei & læticia in Deo.	*Odiū Dei & cordiū rigor. Magica insania, superstitio.*
5. Spes.	*Desperatio. Præsumtio.*
6. Patientia in afflictionibus.	*Impatientia & fremitus. Brutalitarum perpessio & Tolerantia fucata.*
7. Humilitas.	*Superbia & Confidentia propriæ sapientiæ. Hypocrisis monastica.*
8. Perseuerantia constans in Fide.	*Apostasia Fidei. Pertinacia in erroribus.*

Ad secundum Præceptum quinque.

De externa voce doctrina & inuocationis.

1. Vera Dei inuocatio.	*Omißio precum, falsa inuocatio, dæmonum vota, imprecationes & execrationes. Inanis battologia & murmuratio superstitiosa.*

2. Gratiarum actio & laudationes seu hymni.	*Ingratitudo & obliuio beneficiorum.* *Pharisaica iactantia gratitudinis.*
3. Vera prædicatio & propagatio doctrinæ.	*Falsa doctrina, corruptela, blasphemia, & negligentia in docendo.* *Serere opiniones & inutilia proponere.*
4. Cõfessio doctrinæ.	*Abnegatio.* *Anabaptisticapertinacia.*
5. Religio iuramenti.	*Violatio iuramenti, perfidia & peierationes.* *Illicita iuramenta. Huc Regula: Iuramentum non sit vinculum iniquitatis.*

Ad tertium Præceptum Sex.

De Ceremonijs, videlicet de conseruatione externi & publici ministerij.

1. Fidelitas in ministris & docentibus.	*Abolitio muneris rectè docendi, fraus, inscitia & negligentia in officio.* *Nimia anxietas & timiditas docendi.*

2. Sanctificatio Sabbathi in discenda pietate.	Prophanatio feriarum & abductio aliorum à publicis congreßibus. Superstitiosa festiuitas.
3. Pius & frequens vsus Sacramentorum.	Contemtus, neglectio, absentia nocens exemplo. Anabaptistica, Mißificationes, & corruptela τ̃ ρητ8.
4. Reuerentia erga pios ministros.	Contumacia, & ministrorum deformatio. Fucus, & oppreßio piorum fraudulenta.
5. Conseruatio & defensio ministrorum bonorum atq; Liberalitas in scholas & synagogas.	Rapina & spolia Fisci ac illiberalitas. Profusio opum in stabiliendis furoribus.
6. Consensus in doctrina sana, & coniunctio scholarum & Ecclesiarum.	Non necessaria schismata. Communicare, & iugum ducere cum infidelibus & obstinatis.

Legis quæ ordinat ſocietatem, in actionibus erga homines.

Quartum Præceptum.

Species virtutum in gradibus gubernationum præcipit.

1. Pia philoſtorgia in parentibus & natis.	ἀστοργία *immanis & impietas liberorum.* *Indulgentia nimia & impia.*
2. Obœdientia.	*Contumacia, ſeditio, petulantia.* *Magis hominibus, quàm Deo obœdire.*
3. Iuſticia diſtributiua.	*Confuſio graduum, Liuor & æmulatio.* *Diſconuenientia perſonarum & officiorum, & Arithmetica proportio in exiſtimationibus.*
4. Cura vocationis.	*Ignauia,* ὀφθαλμοδουλία. *Inquietudo, polypragmoſyne,* καὶ ἀλλοτριοεπισκοπεῖν.

Grati-

5. Gratitudo ἀντίδωρα καὶ ἀντιθεραπεύειν δοῦναι.	*Ingratitudo, & Cruces parentum ex filijs.* *Assentatio & adulatio.*
6. Obseruantia & Reuerentia.	*Despectio superiorum fastuosa, & cauillatio vtilium legum.* *Ficta honorū delatio, sine vera opinione in mente.*
7. Grauitas superiorum & Magistratuum.	*Leuitas animi & morum.* *Morositas & truculentia.*
8. Modestia & Decorum speciale ac prudens Moderatio, ne quid nimis.	*Vana iactantia, Scurrilis obscœnitas, inciuilitas.* *Stupor, dysopia.*
9. Appetitio Gloriæ, & honestæ famæ.	*Impudentia; cum non stimulat gloria decus.* *Ambitiosorum æmulatio, cupiditas, &* πρωτοκλισία.

Quintum Præceptum.

Præcipit Beneuolentiam erga omnes homines propter Deum.

1. Iusticia & æquitas nemini nocens.	*Summa iniuria, violentia* ὕβρις; *leges scriptæ sanguine.* ἀκριβοδίκαιον, *calumnia.*
2. Pœnarum distributiua.	*Indulgentia augens licentiam scelerum*, προσωποληψία. *Iniustæ cædes, crudelitas, & supplicia piorum hominum.*
3. Fortitudo & militia legitima.	*Timiditas, inconstantia, Mollities.* *Temeritas, Peruicacia.*
4. Præsentia boni consulere, patientia philosophica.	ἀψικορία, *Impatientia, Amor nouitatis.* *Segnities in quærendo.*
5. Mansuetudo & mitigatio summi iuris.	*Ira, odium, & vindictæ cupiditas.* *Lenitas viciosa, neglectio atrocium iniuriarum.*
6. Misericordia.	*Sæuitia & crudelitas Tyrannica.* *Facilitas multa.*

Ami-

7.
Amicitiæ & concordiæ ciuilis ſtudium, φιλησυχία.
Diſcordia, φιλονεικία, Contentioſitas, Inimicitia, odia, bella ciuilia.
Nihil pugnare etiam de rebus neceſſariis & ſimulatio beneuolentiæ.

8.
Fidelitas.
Inuidentia, Infidelitas, Perfidia.
In rebus iniuſtis fidelem eſſe.

9.
Candor quo lætamur ſucceſſu bonorum.
Maleuolentia, Sarcaſmi ἐπιχαιρεκακία, ſuſpicio.
Falſo præ ſe ferre hilaritatem animi & ſtulta credulitas.

10.
Humanitatis ſtudium & comitas.
Inhumanitas.
Aulica applicabilitas.

11.
Zeli ardor & Neme ſis.
Affectuum & motuum abiectio.
Aſperitas & priuatæ vindictæ cupiditas.

12.
Curæ valetudinis conſeruandæ.
Artis medicæ contemtus.
Delicatè fugere & deſerere ægrotos.

Sextum

Sextum Præceptum.

Sancit Coniugium, & prohibet alias commixtiones omnes.

1. Castimonia vitæ cœlibis & coniugatæ, seu pudicitia.	*Impuritas & libidines vagæ, adulteria, diuortia & stupra, spurci sermones & pictura.*
	Castitas simulata Monialium, perpetuus Cœlibatus sine dono, ac prohibitio coniugij.
2. Verecundia & pudor.	*Impudentia, obscœnitas. Morosophia, stupiditas & viciosa verecundia.*
3. Temperantia.	*Intemperantia, Incontinentia, Luxuria.*
	Defraudatio sui ipsius detrimentosa.
4. Sobrietas.	*Ingluuies, ebrietas, Crapula, Voracitas.*
	Abstinentia nimia, & ieiunia superstitiosa.

Septimum Præceptum.

Sancit distinctionem Dominiorum, vt quisq; res suas teneat, & ab alienis abstineat.

Domi-

1. Dominiorum distinctio & vsus rerum legitimus.	*Rapina, furta, vsura, expilationes, lucra iniusta aleatorum et ludionum.* *Auaritia,* πλεονεξία.
2. Iusticia in contractibus quæ commutatiua dicitur.	*Inæqualitas contractuum.* *Iniustæ mercedes, & stipẽdia fraude attenuata.* *Indifferens rerum communio.*
3. Liberalitas pro modo facultatum.	*Illiberalitas nemini benefaciens.* *Profusio insana & immodica.*
4. Parsimonia & Frugalitas.	*Prodigalitas.* *Sordes & tenacitas nimia.*
6. Hospitalitas.	*Inhospitalitas.* *Quosuis excipere, nec pro re & copia victitare.*
6. Sedulitas & labor.	*Segnities & Ignauia.* *Perpetua defatigatio & plus laboribus quam Dei benedictioni confidere.*
7. Eleemosyna.	*Neglectio pauperum.* *Mendicitas non necessaria sine indigentia.*
8. ἀυταρκεία.	*Auri sacra fames.* *Ocio torpescere segni.*

Octauum Præceptum.

Præcipit de Veritate, seruante conuenientiam mentis, dictorum, gestuum & rerum.

1. Veritas.	*Manifesta falsitas & mendacia, perfidia fœderum, calumnia. Sophistica, Ironia.*
2. Simplicitas pia & recta.	*Astutia, Duplicitas. Falsi prætextus, fucata simplicitas.*
3. Constantia.	*Leuitas & inconstantia. Omnia pro suo more agere.*
4. Docilitas.	δοξοσοφία, αὐτοδιδαχία, *pertinacia, indocilitas.* ἐποχὴ *pyrrhonica.*
5. Taciturnitas.	*Futilitas, garrulitas, & Arcana prodere. Obmutescere in asserenda veritate.*
6. Eloquentia.	*Infantia, Fabulæ,* λόγοι. *Volubilitas linguæ, abusus Rhetoricationis, petulantia ingeniorum.*
7. Affabilitas & Comitas.	*Toruitas, Morositas. Leuitas in congressibus.*

Vrba-

8. Vrbanitas & Ciuilitas ac Lepos.	*Agreſtis inſulſitas.*
	Obſcœnitas ſcurrarum.
9. Rectè interpretari mediocriter dicta.	*Obtrectatio, & rapere omnia in ſiniſtrum ſenſum.*
	Velare turpia & flagitioſa.

Nonum & Decimum Præceptum.

Radicem omnium malorum affectuum reſecant.

1. Congruētia voluntatis, cordis & omnium virium ac interiorum motuum cum Deo.	ἀταξία *omnium motuum in defectu.*
	Mala Concupiſcentia & inordinata appetitio in exceſſu.

FINIS.

INDEX EORVM QVÆ IN HOC LIBELLO ſunt maximè memorabilia.

A.

G.

H.

I.

Immor-

Natu-

O.

P.

Q.

Remiſ-

T.

V.

Y.


Z.

FINIS.



A N N O.

EXVLtate IVſtI In DoMIno.



L I P S I Æ

I O H A N N E S R H A M B A

E X C V D E B A T

M. D. L X X V I I I



Euripides.

Si quis malorum gaudeat commercio,
Rogare qualis ipse sit, nihil est opus:
Nam quisque similis est sodalitii sui.

Pro: 13.

Stultorum socius affligetur.

Vide infra folio 143.

AURO QUID MELIUS? IASPIS. QUID IASPIDE? VIRTUS.
QUID VIRTUTE? DEUS. QUID DEITATE? NIHIL.